















XXXIV
CALIXT

DE PACTIS QVÆ DEVS CVM HOMINIBVS INIIT

GEORGII CALIXTI
S. THEOLOGIÆ D. ET IN ACAD. IVLIA PRIMARII PROFESSORIS

TRACTATVS,

QVEM

SVB EIVSDEM PRÆSIDIO

ADIVVANTE DEO

PVBLICE DEFENDET

SAMVEL VOSS
Nobilis Mekelnburgicus,
S. Theol. studiosus.

IN MAGNO JVLEO

DIE XXIX QVINCTIL.
& nonnullis aliis.





HELMESTADII,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT
HENNINGVS MVLIERVS.

CIↃ IↃC LIV.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO
DOMINO

FRIDERICO

HEREDI NORVVEGIÆ, DVCI SLESVVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE ET DITHMARSIAE, COMITI IN OLDENBORG ET DELMENHORST

PRINCIPI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO ET BENIGNISSIMO
FELICITATEM.

AD Serenissimæ Celsitudinis Tuæ genua suppliciter provolutus, post vota pro Tuà & Augustæ Domus Tuæ Felicitate identidem ingeminata, offero humilimè hunc de Pactis, quæ DEus cum hominibus iniit, Tractatum. Eum scripsit natus in ditione Tuo subjectâ

 impe-

imperio, magnum patriæ ſuæ decus, Georgius Calixtus Theologus in hac illuſtri Iuliâ ætate & dignitate primarius; & me inter clientes Tuos minimum, Reſpondentis partes, ad eas capeſſendas utinam tam aptum quàm promtum, ſuſcipere, ſicut in academiis fieri amat, voluit. Quàm omnia, quàm me totum TIBI, BENIGNISSIME DOMINE, debeam, verbis nullis dignè unquam expreſſero. Integri decem & quinque intercedunt anni, quibus clientulum me Tuum complecteris & foves & alis beneficentiâ divinæ prorſus æmulâ. Adduxerat ſubmiſsâ interceſsione inclutus Heros VVilhelmus Lohauſius puerum,

orbum

orbum parentibus, bellorum immanitate afflictum & bonis exutū: Tu, GLORIOSISSIME PRINCEPS, miserum recepisti; Tu receptum in illustri Gymnasio Tuo Bordesholmensi, Tu inter alumnos Tuos Rostochij, Tu hîc in Tui Calixti sinu præcepisti in spem aliquam & servitium Ecclesiæ munificentiâ verè regiâ educari. Quid dicam? Prædicentur beneficia vulgaria. Tua, DOMINE, ingentia & inusitata Deum autorem referunt, omniq; oratione sublimiora religiosi potiùs silentij exigunt admirationem, quàm laudes impares. Atque ita toto animo venerabundus quemadmodum Te, SERENISSIME PRIN-

CEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, Sospitatoris omnium, Dei Opt. Max. clarissimam Imaginem, quemadmodum Te Beneficum & Salutare sidus, in quo uno cumulatè omnia mihi ac studijs meis necessaria æternus Ipse Luminum Pater providit, submissâ devotione suspicio: sic porrò etiam æternũ Illũ Deum, Deum verum & Deum vivũ, Patrẽ DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, solicitare ardentissimis precibus nunquam cessavero, ut IPSE IS TIBI pro me velit debere, IPSE agere ac referre gratias, IPSE Tua in me merita & ingentia beneficia, tum in hac vitâ tum in alterâ æternùm remunerari. Quæ verò de studijs meis pro-

mitti

mitti possunt, Tuâ, DOMINE, voluntate & benignitate nituntur. Sunt illa quidem, ut omnia mea, tenuia: cæterùm si progrediantur, quemadmodũ auspicio & arbitrio Tuo, PRINCEPS GLORIOSISSIME, ordinari Deus voluerit, non poterunt non, qualiacunque fuerint, felicem successũ sortiri. Tu Deo, OPTIME PRINCEPS, proximiori commercio, ut ita loquar, conjunctus: per Te Iussa Sua Deus, per Te Benignissimam Voluntatem suam mihi expromit. In Te Deum, Deiq; de me judiciũ ubique suspicio supplex & adoro. IPSE igitur, omnipotens ille exercituum Dominus, æternus ille Pater misericordiarum, Qui ea, quæ non

sunt,

ſunt, glorioſæ virtutis ſuæ verbo jubet eſſe, etiam minimum, etiam indignum operarium, donis, quibus Ipſi viſum fuerit, inſtructum extruſerit aliquando in meſſem Suam. IPSE olim oſtenderit, quòd ex imperio Tuo, INDVLGENTISSIME DOMINE, ſub ſpecioſo ſtudiorum nomine mihi nihil quæſiverim; nec debuerim reſpicere ad oſtentationem inanem, ſed ad ſolidum honorem CHRISTI, Vnici Salutis humanæ Autoris & Magiſtri, ſine Quo vanum eſt omne, quod vivimus. IPSE TE, SERENISSIME DOMINE, incolumem & florentem ſervet & ſoſpitet diutiſſimè. IPSE pietati & Virtuti Tuæ Mercedem largiatur Gloriam æternam. Helmeſtadij in academiâ Iuliâ, VII Kl. Sextil; cIↄ Iↄ C LIV.

SERENISSIMÆ TVÆ
CELSITVDINIS

ſubiectiſsimus cliens
& alumnus
Samuel Voss.

DE



עַמִּי עֹשׂו

DE PACTIS, QVÆ DEVS CVM HOMINIBVS INIIT.



Eus opt. max. quum ſex diebus cœlos & terram, aſtra, ſolem & lunam condidiſſet, aëri volucres, aquis piſces addidiſſet, terramque à mari ſeparatam habitationi idoneam reddidiſſet variiſque animantium generibus inſtruxiſſet, tandem die ſexto hominem creavit, & in hoc omnibus jam numeris abſolutum ſplendideque præparatum hoſpitium ſive domicilium introduxit. Creavit autem Deus hominem *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, Gen. 1, 26; v, 1; ix, 6: *ad imaginem*, inquam, *Dei creavit eum: marem & fœminam creavit eos*, Gen. 1, 27; ne quis fœminam imaginis divinæ participem non eſſe exiſtimet. Dicit tamen ſanctus Paulus 1 Cor. xi, 7: *Vir eſt imago & gloria Dei; at mulier gloria viri eſt.* Nempe indita priùs fuit imago Dei viro, quàm fœminæ, ut imago quæ in fœminâ ad exemplum ejus, quæ jam in viro erat, expreſſa videatur. Eſt autem vir gloria Dei, quoniam in creato viro gloria ſapientiæ divinæ maximè elucet; mulier autem gloria viri, nempe ex hoc, quanti virum Deus fecerit, apparet, quòd ei adjutorium adeo nobile parare & jungere voluerit. *Neque enim conditus eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*, 1 Cor. xi, 9.

II. Imago autem est quædam similitudo alterius, cujus imago dicitur, & quidem expressa sive deducta secundum aliquod ei proprium, & cum aliis rebus non commune. Sic imago hominis est, quæ præ se fert constitutionem & habitum corporis hominibus proprium; imago verò Caji vel Petri vel alterius individui, quæ exprimit propria eorum accidentia, per quæ ab aliis individuis discernuntur. In Deo verò non est distinctio aliqua essentiæ, proprietatum vel accidentium, ut aliquid, quod Deo magis proprium quàm aliud, exprimi possit. Respiciendum itaque potiùs, quid creaturæ proprium, ut quò secundum proprium naturæ gradum ad perfectionem divinam propiùs accedit, eò quoque perfectior & expressior habeatur Dei imago. Quoniam itaque juxta differentiam suam essentialem, quam constituit rationalis natura instructa intellectu & voluntate, homo ad perfectionem divinam propiùs accedit, quàm ulla alia res corporea; hinc est quòd imago Dei homini excellenter, & magis, quàm ulli alteri rei corporeæ, competit. Per rationem itidem homo cæteris animantibus, utpote ratione destitutis & brutis, utut nonnullis mole & robore corporis superioribus dominatur: & per hoc dominium refert imaginem Dei & dominii divini. Quod ipsum indicat Scriptura Genes. I, 26 & 27. *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram: qui dominentur in pisces maris, & in volucres cœli, & in pecudes, & in universam terram, atq; in omnia reptilia reptantia super terram. Itaq; creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit eum: marem & fœminam creavit eos.* Quoniam autem *caput fœminæ est vir*, 1 Cor. XI, 3; & *uxorem subjectam esse oportet viro*, Eph. V, 24; Coloss. III, 18; 1 Petri III, 1: ideo respectu dominii perfe-

perfectior est imago divina in viro, quàm in fœmina.

III. Cæteræ præter hominem creaturæ quoniam omnes existunt, aliæ præterea vivunt, aliæ etiam sentiunt; hoc ipso omnes imaginem quamdam Dei referunt, licet imperfectiùs. Et sunt, qui vocabulum *Similitudinis* latioris significationis esse volunt, & de talibus usurpare malunt. Augustinus libro XXCIII quæstionum, quæstione LI, *Omnis quidem*, inquit, *imago similis est, non autem omne quod simile est, etiam imago propriè, sed fortè abusivè dici potest.* Paullò antè scripserat, quæ hîc subjungimus. *Multis modis dici possunt res similes Deo: aliæ secundum virtutem & sapientiam factæ, quia in ipso est virtus & sapientia non facta; aliæ in quantum solùm vivunt, quia ille summè & primè vivit; aliæ in quantum sunt, quia ille summè & primitus est. Et ideo quæ tantummodo sunt, nec tamen vivunt aut sapiunt, non perfectè sed exiguè sunt ad similitudinem ejus, quia & ipsa bona sunt in ordine suo, quum ille sit super omnia bonus, à quo omnia bona procedunt. Omnia verò quæ vivunt & non sapiunt, paullò amplius participant similitudinem: quod enim vivit, etiam est; non autem quidquid est, etiam vivit. Jam porrò quæ sapiunt, ita illi similitudine proxima sunt, ut in creaturis nihil sit propinquius.* Hæc Augustinus. Sunt autem nonnulla corpora, quæ licet nec vivant, nec sentiant, nec sapiant, ut cœlestium orbium & astrorum, quia tamen per nullas naturales caussas dissolvi vel destrui possunt, hac ipsâ suâ firmitate & duratione similitudinem aliquam divinæ immutabilitatis & perpetuitatis participant.

IX. Et harum quidem sive imaginum sive similitudinum rationes competunt iis, quibus insunt, secundum naturam rerum, ut earum essentiam constituant vel consequantur, sive sint, ut Logici loquuntur, in primo aut secundo modo dicendi per se. Cæterùm in proto-

plasto fuerunt etiam alia, secundum quæ imaginem Dei gereret, non quidem substantiam vel essentiam illius constituentia, nec ab eâ naturaliter emanantia, sed accidentia, naturæ peculiari Dei providentiâ & benignitate, obtinendæ æternæ beatitudinis ergo, prorsus gratuitò superaddita: quæ per lapsum, de quo postea, deperdita sunt, restituuntur autem suo quodam modo juxta divinum beneplacitum, per Evangelicum pactum & regenerationem.

V. Nempe cognita habebat primus homo, quæcumque de Deo ejusque essentiâ & voluntate cognosci ad conservandam præsentem & adipiscendam æternam beatitudinem erant necessaria. Præterea instructus erat eximiâ rerum omnium scientiâ, non acquisitâ, sed divinitus inditâ sive infusâ. Hinc, quòd *quum formasset Dominus Deus è terra omnes bestias agri, omnesq; volucres cœli, adduxit eas ad Adamum, ut videret quomodo vocaret singulas: & quo nomine vocavit Adam animantem quamque, id est nomen ejus*, Gen. 11, 19. Magnæ enim sapientiæ est, congrua & commoda rebus nomina indere. Hinc etiam, quòd quum ad eum ex ejus dormientis latere & costâ condita Heva adduceretur, statim agnovit *adesse os ex ossibus suis, & carnem ex carne suâ*, Genes. 11, 23. Inprimis autem perspectum & certum habuit, quòd ad retinendam præsentem & obtinendam æternam felicitatem necessarium fuerit amare Deum super omnia, sive nullius rei creatæ amorem amori divino præponere, sive cultum & obsequium, quod Deo debetur, ulli alteri rei, vel per desiderium ejus vel per gratificandi studium, postponere.

VI. Totam sanè naturæ legem inscriptam cordi suo, tantâ præsertim, ut diximus, sapientiâ præditus, habuit cognitissimam: præterea ex peculiari revelatione

cogni-

cognitum habuit præceptum positivum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Vt voluntas promta & idonea esset ad omnia ista sine difficultate in rem conferenda, præstitere dotes ei, facultati quidem naturali, sed præter & supra naturam divinitus collatæ. Nihil autem magis voluntatem, quum ab eâ bonos, justos & legitimos actus præstari oportet, impedit & remoratur, quàm quòd appetitus sensitivus, si sibi relinquatur, in objectum suum bonumque delectabile pertinace impetu fertur, atque ita rationem sæpe antevertit, sæpe illi adversatur & repugnat. Hinc sanctus Paulus: *Non quod volo, hoc ago:* volebam immunis esse ab hujusmodi impetu & rebellione appetitus: *sed quod odi, hoc facio.* Actiones tribuuntur suppositis sive personis: atque ideo hosce rationi repugnantes actus, quamvis ab inferiore facultate profectos, sibi tribuit seque eos edere fatetur Apostolus. *Non facio,* inquit, *bonum quod volo; sed malum, quod nolo, hoc ago. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Rom. VII, 15, 19, 23, 24. Propter quod Apostolus se miserum esse conqueritur, id non potuit habere locum in statu, qualis ante lapsum erat, à quo omnis aberat miseria. Lex igitur in membris rebellans legi mentis, sive impetus illi & contumacia vel repugnantia facultatum concupiscentis & irascentis, in statu innocentiæ per donum justitiæ originalis, quam vocant, naturæ superadditum compressa & velut abolita erat. Cujus rei hoc quoque argumentum, quòd ante commissum peccatum *uterque nudi erant, Adam & uxor ejus; & non erubescebant,* Gen. II, 25. Nihil igitur in se pudendum animadvertebant: uti etiam nihil erat. Quod

ipſum arguit eximiam perfectionem, ſive perfectam appetitus ſenſitivi, membrorumque ei deſervientium ſubjectionem.

VII. Et hæc quidem in intellectu, voluntate & appetitu dona, quibus facultates iſtæ hominis ſupra conditionem merè naturalem evehebantur, eò faciebant, ut felicitatem præſentem conſervare, & æternam conſummatamq; cui obtinendæ præparatus erat, adipiſci poſſet. Hæc itaque dona junctim ſumta juſtitiam originalem conſtituiſſe rectè cenſentur, atque eo nomine ſatis commodè appellantur, & pro præcipuâ divinæ imaginis, hominibus inditæ, parte meritò habentur. Quæ quidem eatenus per peccatum tota eſt amiſſa: reſtauratur autem ſuo modo per ſingularem Dei gratiam, annunciationem evangelij & ſpiritualem regenerationem. Homo enim ſe enormiter peccaſſe & iram divinam incurriſſe non poterat ignorare: interim ſcire non poterat, an Deus eſſet recepturus in gratiam, præſertim *quum angelis, qui peccaverant, non pepercerit, ſed in tartarum detruſos catenis caliginis tradiderit, damnationi ſervatos*, II Petri II, 4; Iudæ verſ. 6. Quòd itaque Deus miſereri velit, ipſo revelante demum didicit; & ut revelationi fidem haberet, & in promiſſo ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis fiduciam & ſpem conſequendæ veniæ & ſalutis poneret, collata gratia præſtitit. Per quam etiam fit, ut exorbitans concupiſcentia, quamvis penitus tolli & eradicari nequeat, compeſci tamen poſſit, ne actus vitioſos, ad quos inſtigat, conſummet & perficiat. Ita in gratiam receptus, & modo, qui Deo placuit, reſtitutus eſt Adam: pariq; ratione reſtituuntur hodie fideles, & imago Dei in eis, quatenus ad ſalutem neceſſarium

Eph. 4, 22. eſt, inſtauratur. Hinc igitur Epheſios hortatur ſanctus

Paulus,

Paulus, *deponere quod ad pristinam conversationem attinet, veterem hominem, qui seductricibus cupiditatibus corrumpitur: renovari verò spiritu mentis suæ, & induere novum hominem, qui secundum Deum conditus est ad iustitiam & sanctimoniam veram.* Ad Colossenses scribit in hunc modum: *Ne mentimini alius adversus alium, quum exueritis veterem hominem cum factis ipsius; & indueritis novum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui illum creavit.* Tantum differt à non regenerato regeneratus, sic adfectibus & studijs mutatus est, ut videatur alius & novus esse homo. Sed pergat Apostolus. *Induimini igitur ut electi Dei, sancti & dilecti, visceribus miserationum, benignitate, humilitate, mansuetudine, lenitate* sive iræ cohibitione. Ex hisce quomodo in fidelibus imago Dei reparetur, & quibus in rebus primitus sita fuerit, intelligitur: nempe in justitiâ & verâ sanctimoniâ; in agnitione sive notitiâ omnium, quæ ad salutem necessaria; in omni virtutum genere & exercitio. Quibus quum potiuntur & perficiuntur & operam dare pergunt fideles, tum *facie retecta* nulloq; velamine, sicut Iudæis contingit, obnuptâ *gloriam Domini quasi in speculo intuentes in eamdem* Domini *imaginem transformantur ex gloria in gloriam*, sicut docet Apostolus II Cor. III, 18.

Col. 3, 9 & 10.

vers. 12.

IIX. Etiamsi verò in his ipsis, in quibus justitia originalis consistebat, posita fuerit præcipua ratio imaginis divinæ; manifestum tamen est ea nec substantiam sive essentiam hominis constituisse, nec ab eâ naturaliter emanasse. Neque enim quum vel habentur, vel amittuntur, vel reparantur, homo secundum speciem mutatur, aut alius specie & definitione homo efficitur. Naturalis tamen dici potest imago Dei & justitia originalis aliô quodam sensu, nempe quòd Adamo concreata fuerit,

fuerit, & unà cum naturâ ejus cœperit: quo modo post lapsum peccatum originale, justitiæ originali privativè oppositum, itidem naturale dici potest, quòd connascatur, & natura humana illo contaminata prodeat, & sine eo nusquam, nisi in uno virginis filio Servatore nostro, reperiatur. *Translato verbo utimur*, ait Augustinus priore Retract. cap. x. *ut naturam dicamus etiam quali nascitur homo: secundum quam loquutionem dixit Apostolus, Fuimus enim*
Eph. 2, 30. *& nos aliquando naturâ filii iræ.*

IX. Fuerunt etiam alia naturæ superaddita dona & ornamenta, non tamen propriè & directè ad justitiam facientia, vel eam constituentia, sed nihilominus personæ, qualis Adam in statu innocentiæ erat, congrua; ut videlicet totus & ab omni parte imaginem perfectionis divinæ referret. Non itaque solùm sicut ratio & superiores intellectus & voluntatis facultates Deo erant subjectæ, ita quoque rationi appetitus sensitivus sine renisu & certamine parebat: sed etiam ab inferioribus, ut locomotivâ & vegetante, quidquid incommodi vel miseriæ aliquid adferre posset, aberat, partim per peculiarem Dei providentiam, partim per supernaturalia in promtu posita & parata remedia. Huc videlicet faciebat *arbor vitæ* à Deo in paradiso collocata, Gen. II, 9: ad quam ne post admissum peccatum homo *extendens manum suam acciperet de fructu ejus, & comedens viveret in seculum*, sive ultra terminos à Deo constitutos; propterea *posuit Deus ab oriente horti Heden Cherubim, flammamque gladii vibrantis*, & terrorem adspicientibus incutientis, *ad custodiendum viam*, quæ ferebat *ad arborem vitæ*, Gen. III, 22 & 24. Fructus igitur arboris vitæ pollebat facultate, & quidem naturæ suæ, ut videtur, divinitus inditâ, quæ debilitates corpori aliàs secundum naturam incumbentes

tes averteret, morbosque & mortem arceret. Interclusa itaque post lapsum fuit via ad arborem illam ducens, ne homo fructu ejus identidem vescens vitam, quousque vellet & longiùs, quàm Deo videretur, extenderet. Adscribam hic verba Augustini ex libro De civitate Dei XIII, cap. XX. *Primi homines licet morituri non essent, nisi peccassent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quæ licet senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem, qui status eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetitâ simul erat, mirabili Dei gratiâ præstabatur; tamen & alios sumebant cibos, præter unam arborem, quæ fuerat interdicta. —— Alebantur ergo aliis, quæ sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo & sitiendo sentirent. De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent.*

X. Idem Augustinus libro VI de Genesi ad literam cap. XXV expendens verba Rom. IIX, 10; annotat *Apostolum non dicere Corpus mortale propter peccatum; sed, Corpus mortuum propter peccatum. Illud quippe,* inquit, *ante peccatum & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam caussam dici poterat: id est, mortale quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: à quo ligno separatus est quum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio conditoris.* Hæc rectè & ad rem Augustinus. Cujus verbis lubet subjungere verba Lutheri è commentario in Gen. II, 9: *Habuit A-*

dam corpus naturale & mobile, quod generabat, edebat, laborabat. Hæc corruptionem judicantur afferre, aut saltem mutationem aliquam, quâ tandem homo naturaliter esset corruptus. Sed huic naturali ordinationi Deus curavit remedium per arborem vitæ, ut homo sine ullo virium decremento longam & sanam vitam viveret in perpetuâ juventâ. Dixerat paullò antè ad versum septimum: *Docet Paulus, etiamsi Adam non peccasset, tamen victurum fuisse corporalem vitam, indigam cibi, potus, quietis, crescentem, generantem, donec per Deum ad vitam spiritualem esset translatus, in qua vixisset sine animalitate, ut sic dicam, nempe ab intra ex solo Deo; & non ab extra, sicut antea ex herbis & fructibus: idq; sic, ut tamen homo habeat carnem & ossa, & non sit merè spiritus, sicut Angeli sunt.*

XI. Ex hisce intelligi potest, qualis fuerit in statu innocentiæ homini collata immortalitas, nempe per quam potuisset non-mori, sive mortem evitare. Non itaque fuit immortalitas simpliciter & absolutè, sed secundum quid: sublata erat mors quoad necessitatem & actum moriendi, sed non quoad potentiam. Potuit homo ad eum modum sese gerere, ut necessitatem moriendi declinaret: sed potuit ita quoque se gerere, ut incurreret, & potentia aliquando in actum prodiret; sicut etiam reapse factum fuit. In æternâ verò vitâ (addimus ut discrimen appareat) mors tum quoad actum tum quoad potentiam erit sublata, atque ita immutabuntur homines, ut non possint mori: sicut è contrario in vitâ, qualem nunc agimus, non possumus non mori.

XII. Quibus autem verbis hoc discrimen commodè exprimi posset, in eo videtur hæsitasse Theophilus Antiochenus, unus ex antiquissimis scriptoribus Christianis. Sic enim ille libro secundo ad Autolycum: *Dicat quis, Num naturâ mortalis creatus est homo? Nequaquam.*

Post med.

Quid

Quid igitur? num immortalis? Ne hoc quidem. Neque enim naturâ mortalis creatus est, neque immortalis. —— οὔτε οὖν ἀθάνατον αὐτὸν ἐποίησεν, οὔτε μὴν θνητὸν, ἀλλὰ δεκτικὸν ἀμφοτέρων. *Nec igitur eum immortalem creavit Deus, nec mortalem, sed utriusq; capacem.* Theophilo quatuor seculis recentior Eusebius, Thessalonicæ episcopus, adversus quemdam Andream, monachum inclusum, hominem improbum, scripsit, sicut memorat Photius codice CLXII; hæcq; ejus verba recitat: Δέον καὶ νοεῖν καὶ λέγειν, ὡς τὸ τοῦ Ἀδὰμ σῶμα θνητὸν μὲν φύσει καὶ παθητόν· θείᾳ δὲ χάριτι ἀθάνατον διεφυλάττετο καὶ ἀπαθὲς, μέχρις ἂν αὐτὸ ἡ παράβασις τῆς φυλακῆς ἀπεγύμνωσεν· οὕτω γὰρ καὶ ὁ τῶν ἁγίων χορὸς ἀποφαίνεται. *Oportet sentire & dicere, quòd Adami corpus naturâ mortale & paßibile, divinâ verò gratiâ immortale & impaßibile præstitum & custoditum fuerit, usquequò eum prævaricatio custodiâ illa privaret. Hæc enim est concors sanctorum Patrum sententia.* Ad Eusebium illum scribit, & Andreæ istius monachi improbitatem enarrat Gregorius cognomine Magnus, episcopus Romanus, libro IX, epistolâ LXIX. Cujus Magnorum moralium libro III, cap. XXVI de re, quam nunc consideramus, hæc sunt verba: *Sic homo immortalis est conditus, ut tamen, si peccaret, mori posset; & sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam non mori posset, atq; beatitudinem illius regionis attingere, in qua vel peccare vel mori non posset. Vbi igitur post redemtionis tempus, carnis morte interposita, electi transeunt, illuc procul dubio parentes primi, si in conditionis suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent.*

XIII. Sed ut exactiùs omnia intelligantur, observandum inprimis est, Deum eò usque se demittere & ad hominem accommodare, atque ita gerere, quasi cum eo pactum vel fœdus ineat; & hoc vocabulo suas cum

hominibus actiones sæpissimè designare. Facilè autem animadvertitur, non esse quasi pactum paris cum pari, sed superioris cum subdito, domini cum servo. Superior jubendi potestate præditus lege latâ obligat subditum ad parendum, & præstandum quod lex requirit. Si subditus detrectat, & in legem peccat, pœnæ est obnoxius. Nec consensus ejus requiritur, ut acceptet; sed perinde se habet, ac si ita conventum esset. In arbitrio autem superioris positum est, num velit obsequium aliquo præmio vel beneficio prosequi: & quum Deus hominum sit amantissimus, sit optimus & benignissimus, hinc fit, ut obœdientes & verba pacti custodientes amplissimis & maximis præmiis mactet beetque. Quum autem idem sit justissimus, fieri aliter non potest, quin inobœdientiam, præsertim contumacem & datâ operâ admissam, severissimis pœnis castiget & afficiat. Perinde igitur est, ac si utrimque ita conventum esset. Conditio autem à parte hominis, per quam præmiis divinitus promissis potiri detur, est obœdientia.

XIV. Qualem Deus primum hominem creaverit, & quòd in statu merè naturali, quique ab ipsâ humanâ naturâ secundùm se consideratâ dependeat, non reliquerit, sed mox in ipsâ creatione supra eum longè evexerit, & dotibus naturalem constitutionem excedentibus instruxerit, superiùs est ostensum. Vt in hoc felicitatis statu permaneret, & ex eo ad perfectè beatam æternamque vitam aliquando, nullâ interveniente morte, transferretur, posita est ipsi observanda universa lex naturæ, cordi ejus inscripta; quæ etiam ut exactissimè servari posset, supernaturali dote cohibitus fuit appetitus sensitivus, ne adversus rationem sive præveniendo sive repugnando se commoveret; additum præterea est unicum præceptum

ptum

ptum positivum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, ad præbendum specimen & documentum animi Deo devoti perfectæque obœdientiæ. Quum enim aliàs fructus ille esset bonus in cibum, mimineque noxius aut insalubris, non necesse erat abstinere, nisi propter solam prohibitionem divinam. Perinde itaque fuit, ac si Deus in hunc modum cum homine pactus fuisset: Adame, si servaveris, quemadmodum servare potes & dotibus in hunc finem instructus es, leges quas tibi posui, felicitate, quâ nunc gaudes, non interruptâ diutissimè potieris, & tandem, quum mihi visum fuerit, nullo interveniente morbo vel morte, ex hac vitâ, quæ licet felicitate suâ polleat, animalis tamen est, ad spiritualem & æternam & omnibus numeris perfectè beatam transfereris. Sin prævariceris & inobœdiens fueris, & *comederis de fructu arboris scientiæ boni & mali, quo die comederis, moriendo morieris*, id est omnino morieris, sive necessitatem moriendi incurres, eaque obstrictus teneberis. Stipulatus igitur est Deus ab homine perfectam observationem legis: & observanti promisit felicitatem, quæ incoata erat, continuandam, & tandem aliâ perfectissimâ commutandam & consummandam; non observanti autem comminatus est & imposuit necessitatem subeundi mortem. Hæc acceptare hisque acquiescere hominem oportuit. Genes. 3, 17.

XV. Si verò natura humana sibi relicta, & ultra perfectionem naturalem, quatenus talem, exaltata non fuisset, mortem evitare non potuisset. Quod itaque potuit, donis naturæ superadditis sive supernaturalibus acceptò ferendum. Comminatus autem est Deus, nisi observaretur sua lex, ablatum iri donum illud supernaturale non-moriendi. Par verò ratiò erat reliquorum

donorum supernaturalium, ut commisso peccato ipsa quoque abolerentur, & homini inesse ejusque felicitati præsidium præstare desinerent. Sicut eventus idipsum docuit, nempe amisso dono immortalitatis amissum quoque fuisse donum, quo appetitus coërcebatur: un-
Gen. 3, 7. de cœpit eos pudere, *quòd nudi essent, & consutis foliis ficulneis fecerunt sibi subligacula.* Quod autem superiores attinet facultates, intellectum & voluntatem, quomodo se post perpetratum peccatum habuerint, dictum est superiùs: nempe homo nihil poterat de impetrandâ veniâ sibi promittere vel sperare, sed desperandum fuisset, si sibi relictus esset, & divina misericordia per revelatum novum veniæ & salutis consequendæ modum non subvenisset. Atque ita amissa est justitia, quam originalem siue concreatam appellamus, faciens ad perfectam justitiam præstandam, perfectamque beatitudinem obtinendam; & successit peccatum, quod itidem originale dicimus, nempe quia sicut illa cum ipsâ Adami origine cœperat & concreata erat, ita istud post lapsum originem posterorum Adami comitatur & connascitur; & sicut illa, si perseverasset, hominem ad beatitudinem perduxisset, ita istud è contrario beatitudine excludit & damnationi involvit. Lubet hîc adscribere sententiam Lutheri ex commentario in Gen. 11, 17. *Peccatum,* inquit, *originale est, quòd intellectus est obscuratus, ut non agnoscamus ampliùs Deum & voluntatem ejus, ut non animadvertamus opera Dei: deinde quòd etiam voluntas est mirè depravata, ut non fidamus misericordiæ Dei, ut non metuamus Deum, sed securi, omisso verbo & voluntate Dei, sequimur concupiscentiam & impetus carnis: item quòd conscientia non ampliùs tranquilla est, sed quum de justitiâ Dei cogitat, desperat, sequitur illicita præsidia & remedia. Hæc peccata sic altè in*

natu-

naturam fixa sunt, ut in hac vitâ non possint penitus evelli. Ad hunc modum peccatum originale demonstrat, quid sit justitia originalis; & econtra justitia originalis demonstrat, quid sit peccatum originale, *nempe quòd est amissio justitiæ originalis seu privatio, sicut cæcitas est privatio visus.* Hæc Lutherus.

XVI. Sic igitur per lapsum è vestigio cœpit homo dotibus supernaturalibus orbari, & in statu, qualem natura sibi relicta præbet, relinqui, obnoxio præterea culpæ & inde exortis miseriis. Observandum enim, etiamsi numquam reapse & actu exstiterit status merorum naturalium, sed naturalia semper conjuncta fuerint vel cum innocentiâ, & proinde cum dotibus innocentiæ congruis, vel cum culpâ, vel cum gratiâ regenerationis; quòd nihilominus seorsim mera naturalia secundum se considerari, & qualem illa statum importent, intelligi possit: quemadmodum etsi nulla materia nisi formæ alicui conjuncta exstat, quid tamen materiæ secundum se, quid formæ competat, seorsim considerari potest & debet. Sunt autem varii status hominis, & PRIMVM quidem status merorum naturalium, qui etiamsi, ut diximus, numquam talis exstiterit, quid tamen importaturus esset, considerari potest. Est SECVNDO status innocentiæ, in quali erant protoplasti ante lapsum, plurimis maximisque supra mera naturalia dotibus evecto. Est TERTIO status peccati & miseriæ & incumbentis divinæ iræ ac damnationis: in quali erant primi parentes post commissum peccatum, antequam reciperentur in gratiam; & in quali sunt omnes eorum posteri, nisi Deo reconcilientur veniæque & gratiæ participes reddantur. In eo naturæ sunt laxatæ habenæ, ut inferre permittatur, quod sibi relicta inferre potest, nempe plurima incommoda, pericula, morbos & denique mortem.

tem. Concupiſcentia quoque ſoluta eſt, & ne ſe moveat & turbas det, dum hæc mortalis vita vivitur, prohiberi non poteſt. Dices fortè, Quæ merè naturalia ſunt, referuntur in Deum naturæ auctorem. Si igitur inordinati concupiſcentiæ motus, quibus non poſſumus non laceſſi, à naturâ ſunt, & peccata ſunt, hæc peccata in Deum tamquam cauſſam redundabunt. Reſpondeo autem, Si Deo placuiſſet hominem in ſtatu merorum naturalium relinquere, tum legem de non-concupiſcendo non tuliſſet. Quod verò nulla lex prohibet, id quoq; peccatum non eſt. Cæterùm ex quo voluit hominem carere motibus, quos diximus; ex eo contulit dotes, per quas, modò per ipſum non ſtaret, carere poſſet. Eſt QVARTO ſtatus reconciliationis & regenerationis, in quo fuit Adam, poſtquam receptus eſt in gratiam, & in quo poſiti ſunt omnes fideles. In eo quidem non reſtituuntur cuncta ſupernaturalia per lapſum amiſſa; minimè autem omnium, quæ felicitatem paradiſicam (ut ita appellare liceat) conſtituebant, & immunitatem à moleſtiis & ægritudinibus & naturali morte præſtabant: hactenus enim in ipſo gratiæ ſtatu natura ſibi permittitur: conferuntur tamen, quæ juxta divinum beneplacitum & pactum evangelicum ad obtinendam reconciliationem & recuperandam ſalutem ſunt neceſſaria. Et quoniam hac fini in hoc ſtatu non eſt neceſſarium à motibus, de quibus diximus, prorſus immunem eſſe, ſed ſufficit eos compeſcere, ne in actus conſummatos erumpant, & quod caro concupiſcit, perficiant; ad hoc præſtandum neceſſaria gratia non deeſt. QVINCTO eſt futurus ſtatus gloriæ, in quo qui in priore quarto ſtatu ad finem uſque perſeveraverint, Deum *coràm* ſive *facie ad faciem videbunt*, 1 Cor. XIII, 12; & corpus, quod in ipſo etiam

ſtatu innocentiæ animale fuerat, id eſt, ad conſervationem individuorum alimento, & ad propagationem ſpeciei generatione indiguerat, ſpirituale habebunt, non quòd ſubſtantia corporea commutanda ſit in ſpiritualẽ ſubſtantiam, ſed quòd glorificanda ſit dotibus, quales aliàs ſpiritibus ſive angelis propriæ ſunt. *Oportet enim corruptibile iſtud induere incorruptibilitatem, & mortale iſtud induere immortalitatem*, I Cor. XV, 53. SEXTO eſt futurus ſtatus damnationis, ſuperiori proximo oppoſitus, in quo qui è tertio priùs memorato erepti non fuerint, & ad quartum tranſlati, ſupremo judicio hanc audient ſententiam: *Abite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*, Matth. XXV, 41: *conjicientur in caminum ignis, in tenebras extimas, ubi erit ejulatus & ſtridor dentium*, Matth. IIX, 12; XIV, 42, 50; XXII, 13; XXIV, 51; XXV, 30: iis enim *caligo tenebrarum in æternum adſervata eſt*, II Petri II, 17. Igitur *torquebuntur igne & ſulfure in conſpectu angelorum ſanctorum, & in conſpectu Agni; & fumus tormenti ipſorum adſcendet in ſecula ſeculorum*, Apocal. XIV, 10. nam *incredulis, & exſecrabilibus, & homicidis, & ſcortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus portio adſignata eſt in ſtagno, in quo ardet ignis & ſulfur*, Apocal. XXI, 8. SEPTIMO eſt ſtatus hominis inter naturalem mortem & ſupremum judicium medius, habentis interea animam à corpore ſeparatam. Sicut autem mortui in duplici ſunt differentiâ, nempe vel beandi, vel damnandi, ita quoque ſtatus, de quo nunc loquimur, alius eſt illorum, alius horum.

XVII. Quod corpora quidem attinet, utrorumque corruptioni & putredini & reſolutioni in elementa uſque materiamque primam ſunt obnoxia. *Pulvis es & in pulverem reverteris*, ait Dominus Gen. III, 19. *Iuſtorum*

autem animæ in manu Dei sunt, & non tangit eos tormentum, Sap. III, 1. Attamen *non obtinuerunt promissum illud: quoniam Deus de nobis potius quiddam providit, ne absque nobis consummentur*, sive beatitudine prorsus completâ & consummatâ potiantur, Hebr. XI, 39. *Regnum Dei est justitia & pax & gaudium per Spiritum Sanctum*, Rom. XIV, 17. Id sanè obtinuerunt. Quod itaque sine nobis obtinere nequeunt, est promissum regnum æternæ completæque beatitudinis. Hinc est, quòd Iohannes in Apocalypsi *vidit sub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter testimonium quod tuebantur*: quibus *datæ sunt stolæ albæ*, quæ videlicet mysticè intellectæ ad eas blandè fovendas & hilaritate focillandas facerent; *& dictum est eis, ut requiescerent adhuc paullulum temporis, usquequo compleantur etiam conservi eorum & fratres eorum, qui occidendi sunt, sicut & ipsi.* Status quoque animarum sanctarum à corporibus separatarum in eadem Apocalypsi verbis figuratis & propheticis describitur in hunc modum: *Sunt ante thronum Dei, & colunt eum die ac nocte in templo ejus: & qui insidet throno, proteget eos umbraculo. Non esurient ampliùs, neque sitient ampliùs, nec in eos cadet sol, neque ullus æstus. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, pascet eos, & via dux erit ipsis ad vivos fontes aquarum: & abstersurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Damnandorum animæ *sunt in carcere*, sicut colligitur ex 1 Petri III, 16. Videtur itaque, quod animas separatas attinet, ita fere se habere, quemadmodum se habet quod attinet electos ad capessendum regnum, & destinatos supplicio. Illi, dummodo sint electi, etiamsi nondum sint coronati, etiamsi nondum in manus traditum sceptrum & regnum acceperint, in honore tamen coronandis congruo habentur, & tractantur, sicut decet regnaturos: isti verò

Apoc. 6, 9 & 11.

Apoc. 7, 15. & seqq.

in car-

in carceribus miseram vitam agunt, & metu imminentis supplicii torquentur.

XIIX. Cæterùm, ut ad priora redeamus, dubium nullum est, nec naturam sibi permittendam, sed mediis & dotibus supernaturalibus sive compescendam sive emendandam, nec hominem, nisi peccasset, moriturum fuisse. Clara enim sunt verba Apostoli: *Per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pervasit*, Rom. v, 12. *In Adamo omnes moriuntur. Aculeus mortis est peccatum; vis autem peccati, lex*, 1 Cor. xv, 22 & 56. Nempe absque peccato esset, nihil morti permissum: & si nulla lex lata vel promulgata, nullum quoque esset peccatum. Neque verò Deus tamquam pœnam intentare sive comminari potuisset mortem vel moriendi necessitatem, si aliàs & etiam absque commisso peccato moriturus homo fuisset. *Quo die*, inquit *comederis, omnino morieris*, sive moriendi necessitatem incurres.

XIX. Est autem homo mediæ inter spiritus sive angelos & animalia bruta naturæ, & utrimque participat. Angeli sunt substantiæ spirituales, immateriatæ & per naturam immortales: sic quoq; homo secundum animam rationalem, per quam in esse hominis constituitur. Cum brutis commune habet corpus ex elementis compositum, quod naturæ relictum dissolvi oportet. Sicut autem pridem expositum fuit, non placuit Deo hominem naturæ relinquere, sed supra eam multis modis extulit. A corpore itaque necessitatem moriendi amovit, ut unà cum animâ perennare & ab eâ perpetuò informari posset. Quum enim condita sit, ut corpus informet, & tamquam altera pars compositi sive unà cum corpore personam constituat; videtur omnino ad

hoc ipsum naturaliter propendere. Voluit itaque Deus hominem talem creare, qui nisi per ipsum staret, animæ corpus perpetuò conjunctum haberet. Ergo homo, quamvis naturæ relictus fuisset mortalis, conditus tamen est ad immortalitatem: cui opponitur duplex mors, tum temporalis, tum præcipuè spiritualis & æterna, quæ est damnatio. Quando igitur Adamo dixit Deus, *omnino morieris*; non potuit ille, tantâ videlicet infusâ sapientiâ præditus, quin etiam spiritu prophetico instructus, ignorare, vocabulum mortis ad temporalem non esse restringendum, sed ad utramque sensu, quàm latè is patet, extendendum. Neque dubitari potest, quandoquidem supremo mundi die Deus omnes homines resuscitabit & redintegrabit, sive omnibus & singulis animabus sua corpora restituet; quin id ad eum modum facere decreverit ab æterno. Quin etiam quum ab æterno præsciverit hominem in statu innocentiæ non esse perseveraturum, & etiamsi in gratiam reciperetur, posterorum tamen ejus alios evangelico pacto, à quo reconciliatio & salus suspendenda esset, obtemperaturos, alios non obtemperaturos, nihilominus omnes decrevit resuscitare. Generalis itaque resurrectio, quæ etiam damnandos includit, in hoc decretum referenda est: beandorum verò, quatenus beata, & membrorum cum capite suo conjunctio erit, Christo redemtori imputanda venit. *Sicut enim in Adamo omnes*, qui videlicet Adami sunt & ab eo originem communi viâ ducunt, *moriuntur; ita & in Christo omnes* (nempe *qui sunt Christi*, ut mox subjungitur) *vivificabuntur*, 1 Cor. xv, 22 & 23.

XX. Existimamus pactum Dei cum primo homine initum, quod antea proposuimus, exactiùs & accuratiùs nunc intellectum iri. Finis pacti, quod homi-

nem

nem attinet, erat ut præsentem felicitatem conservaret, & æternam perfecteque beatam consequeretur. Medium, sive conditio ad hunc finem obtinendum divinitus homini proposita, & ab eo necessariò acceptanda, erat Perfecta legis divinæ tum cordi inscriptæ tum peculiariter revelatæ observatio, sive exacta obœdientia; ad quam præstandam vires sufficientes præstò erant. Pœna non observanti indicebatur mors, non quidem mox & in vestigio subeunda, sed per naturam suo tempore inferenda; & post corpus animæ restitutum æterna, sicut jam diximus. Se enim ad æternam beatitudinem habendam creatum esse, & si eâ excideret, æternæ damnationi obnoxium fore non poterat ignorare Adamus. Hoc pactum ab appositâ conditione, quæ erat Exacta obœdientia legi præstanda, Legale meritò appellatur.

XXI. Ex quo contra legem peccabatur, è vestigio privati sunt protoplasti omnibus dotibus supernaturalibus; & sicut superiùs ostensum est, nullo ingenio adsequi potuerunt, quòd Deus misereri vellet, & quomodo; quandoquidem de veritate verborum Dei & immotâ justitiâ dubitari non poterat, & præstò erat exemplum severitatis adversus angelos, quibus *peccantibus Deus non pepercerat.* A parte igitur hominum res erat desperata, quorum præter spem nihilominus miseretur Deus, & modum reconciliationis & restitutionis, & temperationem justitiæ cum misericordiâ, humanæ menti alioquin impervestigabilem, init. *Solus ipse cogitabat cogitationes pacis, quum afflictionis plena omnia viderentur*, ait Bernhardus sermone primo in Annunciationem Dominicam. Vbi per prosopopœjam introducit loquentes & quasi contendentes Misericordiam & Veritatem. *Eget miseratione creatura rationalis, ait Misericordia, quoniam*

2 Petri 2, 4.

 mise-

misera facta est, & miserabilis valde. Econtra Veritas, Oportet, inquit, impleri sermonem, quem loquutus es Domine. Totus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo erant, quâ die vetitum pomum in prævaricatione gustavit. Ut quid ergo, ait Misericordia, ut quid me genuisti Pater citiùs perituram? Scit enim Veritas ipsa, quoniam misericordia tua periit & nulla est, si non aliquando miserearis. Similiter autem è contrario & illa loquebatur: Quis nesciat, quòd si prædictam sibi prævaricator sententiam mortis evaserit, periit nec permanebit jam in æternum veritas tua Domine? Cætera apud ipsum auctorem, cui libuerit, videat.

XXII. Veritatem sanè divinam & justitiam sartam tectam præstari oportuit; quomodo autem jungi posset misericordia, & simul partes suas obire, nullum humanum ingenium, in isto præsertim culpæ & miseriæ statu, nulloque exemplo adiutum sed potiùs contrarium, quod lapsi angeli præbebant, ob oculos pôsitum habens, perspicere vel adsequi poterat. Homo peccaverat, & propterea hominem plecti oportebat. Satisfaciendum autem erat justitiæ divinæ, quæ est infinita, itidem pro morte æternâ sive quæ durationis infinitæ: vel quod idem est, præstandum erat quod infinitæ justitiæ satisfaceret, & pœnis in æternum duraturis æquipolleret. Hoc à nullâ creaturâ præstari poterat. Deus itaque suum ipsius unigenitum propriumque filium, sibique ὁμοούσιον dedit, ut incarnatus & homo factus passusque & mortuus pro peccatis tum primorum parentum, tum universi generis humani satisfaceret. Quia enim passio & mors hominis futura erat, propterea hominibus imputanda veniebat; quia verò Dei, propterea infiniti valoris & precii æstimanda. *Est piissimus*, ait Irenæus, *& mi-*
Lib. 3, 20. *sericors Dominus, & amans humanum genus. Hærere itaq; fecit*

& adu-

& adunivit hominem ſive humanam naturam *Deo. Si enim homo non viciſſet inimicum hominis, non juſtè victus eſſet inimicus. Rurſus autem niſi Deus donaſſet ſalutem, non firmiter haberemus eam: & niſi homo conjunctus fuiſſet Deo noſtro, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim mediatorem Dei & hominum per ſuam ad utroſque domeſticitatem, ad amicitiam & concordiam utroſque reducere, & facere ut Deus adſumeret hominem, & homo ſe dederet Deo,* ſive potiùs, *& Deo ſiſtere hominem* reconciliatum & acceptum, *& hominibus notum facere Deum,* quàm videlicet ſit miſericors & φιλάνθρωπος. Exſcripſit & dialogo ſuo ſecundo, Ἀσυγχύτου ſive Inconfuſi titulum præferenti, inſeruit Theodoretus; ex quo græca verba proferemus. ἥνωσεν οὖν τὸν ἄνθρωπον τῷ θεῷ. εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησεν τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. πάλιν τε, εἰ μὴ ὁ θεὸς ἐδωρήσατο τὴν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔσχομεν αὐτήν, καὶ εἰ μὴ συνηνώθη ὁ ἄνθρωπος τῷ θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας. ἔδει γὰρ τὸν μεσίτην θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων, διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκατέρους οἰκειότητος, εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν. καὶ θεῷ μὲν παραστῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώποις δὲ γνωρίσαι τὸν θεόν. Hæc ex Irenæo Theodoretus. Poſt med.

XXIII. Scribit Auguſtinus De agone Chriſtiano cap. XI: *Sunt ſtulti qui dicunt, Non poterat aliter ſapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur ex fæminâ, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus, Poterat omnino: ſed ſi aliter faceret, ſimiliter veſtræ ſtultitiæ diſpliceret.* Libro XIII de Trinitate, cap. X dicit, *non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cujus poteſtati cuncta æqualiter ſubjacent; ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ convenientiorem modum alium non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe.* Nihilominus idem Enchiridio ad Laurentium, *Ne per ipſum quidem,*

inquit,

Cap. 108. inquit, *liberaremur unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, nisi esset & Deus.* Leo Magnus sermone secundo in solennitate nativitatis Dominicæ: *Verax misericordia Dei, quum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.* Respicere videtur ad dictum Irenæi paullò ante productum, affirmantis, *Si homo non vicisset adversarium hominis, non justè victum esse adversarium.* Idem autem sermone primo in eadem solennitate: *Nisi esset Deus verus, non afferret remedium.* Sermone quincto: *Nisi Verbum Dei caro fieret, & habitaret in nobis, nisi in communionem creaturæ creator ipse descenderet, & vetustatem humanam ad novum principium suâ nativitate revocaret; regnaret mors ad Adam usque in finem, & super omnes homines condemnatio insolubilis permaneret, quum de solâ conditione nascendi*
Post med. *una cunctis esset caussa pereundi.*

XXIV. Athanasius oratione tertiâ contra Arianos, hanc ab ipsis propositam objectionem adducit: ἠδύνατο φασὶ καὶ κτίσματος ὄντος τοῦ σωτῆρος, μόνον εἰπεῖν ὁ θεὸς, καὶ λῦσαι τὴν κατάραν. *Poterat (ajunt) etiamsi Servator creatura fuerit, tantummodo loqui Deus, atque ita solvere maledictionem*, declarando videlicet sibi placere, ut per creaturam solvatur. Et respondet Athanasius, *Poterat etiam sine ullo adventu Christi solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem. Sed spectare oportet, quid homini sit utile, nec ubique ad potentiam Dei confugere.* Cæterùm non videtur huic sententiæ inhærere Athanasius, quum post nonnulla subjungat: *Quemadmodum non fuissemus vindicati à peccato & maledictione, nisi caro, quam induit & adsumsit Verbum, esset secundum naturam caro humana: ita neque deificatus fuisset homo* (per restitutionem videlicet imaginis di-

nis divinæ consors factus divinæ naturæ, ut loquitur sanctus Petrus) *nisi secundam naturam ex Patre verumq; & proprium ejus esset Verbum, quod factum est caro.* Sic enim demum juxta Athanasium βεβαία γένεται σωτηεία καὶ ἡ θεοποίησις ἀνθρώπου, *stabilis efficitur & firma salus & deificatio hominis.* οὐδὲν γὰρ πλέον ἡμῖν τοῖς ἀνθρώποις ἦν, εἰ μήτε ἀληθινὸς καὶ φύσει υἱὸς ἦν τοῦ θεοῦ ὁ λόγος, μήτε ἀληθινὴ σάρξ ἦν, ἣν προσελάβετο· *Nullum enim in nos homines redundaverit emolumentum, si neq; Verbum verus & naturalis sit Dei filius, neq; vera sit caro, quam adsumsit.* Dicit etiam oratione secundâ contra Arianos, *nullo modo futurum fuisse, ut in regiones Angelorum induceremur, nisi ille, qui in formâ Dei est, formam servi suscepisset, & se humiliasset, permittens corpus suum usque ad mortem devenire.* Item, Εἰ μὴ ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐγεγόνει, οὐκ ἂν ἡμεῖς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν λυτρωθέντες ἐκ νεκρῶν ἀνέστημεν, ἀλλ' ἐμένομεν ὑπὸ γῆν νεκροί· οὐδ' ἂν ὑψώθημεν εἰς οὐρανούς, ἀλλ' ἐκείμεθα ἐν τῷ ᾅδῃ. *Si Dominus homo factus non esset, nunquam nos à peccatis vindicati ex mortuis resurrexissemus, sed sub terris mortui relinqueremur; neq; ad cælos eveheremur, sed maneremus in inferno.* 2 Pet. 1, 4.

Post med.

XXV. Basilius Magnus ad psalmi, juxta numerum Græcum, XLIIX versiculos VII & IIX: *Deus fratrem in redemtionem non quærit, sed aliquem qui tuam exsuperet naturam.* μήτε ἄνθρωπον ψιλὸν, ἀλλ' ἄνθρωπον θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς καὶ μόνος δύναται δοῦναι ἐξίλασμα τῷ θεῷ ὑπὲρ πάντων ἡμῶν. *Neq; hominem nudum, sed hominem Deum Jesum Christum, qui etiam solus propitiationem dare potest Deo pro nobis omnibus.* Fulgentius de Incarnatione & gratiâ cap. VII: *Si unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, post æternam nativitatem, quam ex æterno Patre Filius coæternus habet, secundam nativitatem sanctificandi hominis gratiâ non susciperet, homo in iniquitatibus conceptus primæ nativitatis nexibus non careret.* Vigilius

Ante finem. libro v contra Eutychen: *Nisi talem dederis inter Deum & homines, qui ita sit medius, ut ex utroq; utrumq; sit, id est, ut & Deus sit propter divinitatis, & idem homo sit propter humanitatis naturam, humana divinis quemadmodum reconcilientur, non ostendis. —— Et quia reconciliationis sacramentum immaculatum flagitabat sacrificium, talis hostia requirenda fuerat, quæ ita media esset inter Deum & homines, ut & morti succumberet per illud, quod hominis habebat, & mortem revinceret per id, quod in se divinitatis tenebat.*

XXVI. Anselmus duos scripsit libros ad modum dialogi, titulo & argumento, *Cur Deus homo.* Laborat ostendere, quòd redemtio generis humani per inviolabilem Dei justitiam peragi non potuerit, nisi Deus fieret homo, & pro hominibus satisfaceret. Ad verba
Matth. 26, 42. Christi, *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*, ita commentatur: *Non potuisse cali-*
Lib. 1, c. 10. *cem transire, nisi biberet illum, dixit, non quia non posset mortem vitare si vellet, sed quoniam mundum erat impossibile aliter salvari, & ipse indeclinabiliter volebat potiùs mortem pati, quàm ut mundus non salvaretur.* Deinceps in hunc modum lo-
Cap 12. quitur: Peccatum, *si non punitur, inordinatum dimittitur. — Quapropter si non decet Deum aliquid injustè aut inordinatè facere, non pertinet ad ejus libertatem ac benignitatem ac voluntatem, peccatorem, qui non solvit Deo quod abstulit,* honorem scilicet debitum & obœdientiam, *impunitum dimit-*
Cap. 16. *tere.* Immiscet alicubi, *Deum proposuisse, ut de humanâ naturâ, quam fecit sine peccato, numerum angelorum restitueret.* Quod sanè absque fundamento adseruit. Tandem
Cap. 19 in hunc modum pronunciat: *Tene certissimè, quia sine satisfactione, id est, sine debiti solutione spontaneâ, nec Deus potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad beatitudinem vel talem, qualem habebat antequam peccaret, pervenire.* Po-

sterio-

ſteriore libro, quod priore docuerat, proſequitur. *Non poteſt*, ait, *hanc ſatisfactionem facere niſi Deus. Sed nec facere illam debet, niſi homo. Si ergo neceſſe eſt, ut de hominibus perficiatur illa ſuperna civitas, nec hoc eſſe valet, niſi fiat prædicta ſatisfactio, quam nec poteſt facere niſi Deus, nec debet niſi homo; neceſſe eſt ut eam faciat Deus-homo.* Commentarius quidem in epiſtolas ſancti Pauli, operibus Anſelmi immixtus, ad Rom. v, 8, docet, *prætermiſſis aliis innumerabilibus modis, quibus ad nos liberandos uti potuiſſet omnipotens, potiſſimùm elegiſſe, ut Filius ſuus pro nobis moreretur.* At hoc ipſum arguit, commentarios illos non eſſe Anſelmi, ſed potiùs, ut exiſtimatur, Hervæi. Cap. 6.

XXVII. Richardus de S. Victore ſcripſit ad Benhardum Clarevallenſem de Verbo incarnato librum, *in quo oſtendit*, ut habet inſcriptio, *neceſſarium fuiſſe Deum incarnari; nullamq́; perſonam congruentius quàm Filii.* Capite ſanè octavo his utitur verbis: *Plus eſt profectò juſtificari & beari, quàm creari. Ad plenam itaque hominis reſtaurationem omnino non ſufficeret perſona, quæ Deus non eſſet. — Indebitam mortem pro debita ſolvere oportuit. Sed hoc omnino non potuit, niſi homo mortalis & juſtus, & qui mortis ſententiæ in nullo eſſet obnoxius. Vt itaque humani redemtoris perſona ad debiti ſatisfactionem idonea foret, oportuit ut eſſet verus Deus, qui ad hoc ſufficeret; & ut eſſet verus homo, qui pro jure neceſſitudinis meritò exſolveret.* Ita Richardus, qui de S. Victore appellatur, & Scotus fuit.

XXIIX. Σύγχρονος tamen ejus, & monaſterii prope mœnia Pariſiorum, in quo uterque vixerunt, abbas Hugo, in viciniâ ex familiâ dynaſtarum Blancoburgenſium oriundus, De ſacramentis libro I, parte IIX, cap. X ita ſcribit: *Veraciter profitemur, quòd redemtionem generis humani etiam alio modo Deus perficere potuiſſet, ſi voluiſſet. Sed iſte*

nostræ infirmitati convenientior fuit, ut Deus homo fieret, & pro homine mortalitatem hominis adsumens ad spem suæ immortalitatis hominem reformaret: ut non diffidat jam homo se ad bona illius posse adscendere, quem ad sua mala toleranda videt descendisse.

XXIX. Haut diu post Hugonem scripsit Petrus Lombardus, episcopus Pariensis, ejusque ductum, ut

4i. dist. 20. videtur, sequutus affirmat *modum hominem liberandi alium, quàm per mortem Christi, fuisse possibilem Deo, cujus potestati cuncta subjaceant: sed nostræ miseriæ sanandæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse. Quid enim,* inquit, *mentes nostras tantùm erigit, & ab immortalitatis desperatione liberat, quàm quòd tanti nos fecit Deus, ut Dei Filius, immutabiliter bonus, in se manens quod erat, & à nobis accipiens quod non erat, dignatus nostrum inire consortium, mala nostra moriendo perferret?* Cætera apud auctorem ipsum legi poterunt.

XXX. Anselmum nihilominus sequitur Alexander Halensis, qui, ut habet præfatio Summæ ejus præfixa, *primus fertur in libros Sententiarum scripsisse, & primus ex Franciscanis Magisterii insignia adeptus*; sive, ut loquitur

Tr. de timore servili. Stephanus Brulifer, *primus doctor, fons & origo omnium aliorum doctorum quæstionariorum, tam in ordine Minorum quàm Prædicatorum, quàm etiam in cœtu & collegio omnium secularium:* hic, inquam, Alexander, dictus quoque à suis Doctor irrefragabilis, Anselmum sequitur, & scribit *concedendum esse, quòd hanc satisfactionem requirit necessitas justitiæ, ut fiat per Deum unitum humanæ naturæ*, Summæ parte III, quæst. 1, membro VII.

Quæst. 1, art. 2. XXXI. Thomas tamen Aquinas sub initium Tertiæ quærit, *Vtrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari*, & respondet *ad finem aliquem*

aliquid

aliquid esse necessarium dupliciter: uno modo, sine quo aliquid esse non possit; alio modo, per quod melius & convenientius perveniatur ad finem. Primo modo, inquit, *Deum incarnari non fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ: Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare. Secundo autem modo necessarium fuit Deum incarnari.* Videtur ponere Thomas, quòd Deus nullâ habitâ ratione veritatis vel justitiæ, si absolutâ suâ potentiâ utatur, procedere possit. Sic Durandus in Tertium, dist. xx, quæst. II, *Si loquamur*, ait, *de eo quod absolutè fieri potuit, sic dicendum est, quod Deus potuisset, si voluisset, reparare humanam naturam sine ullâ satisfactione; & reparando per satisfactionem potuisset acceptare opus puri hominis, ut Adæ pœnitentis vel alterius innocentis quem creasset, loquendo de potentiâ absolutâ: nec fuisset in aliquo dictorum modorum aliqua injustitia.* Sed non persuadet Durandus, justitiæ & veritati suas partes fore integras, si in eum, qui solennem legẽ sibi à suo creatore, cui semetipsum & tantam suam felicitatnm debeat, positam, per inobœdientiam & contumaciam violaverit, juxta merita sua non animadvertatur, & pœnæ, quæ constituta & dictata fuit, gratia fiat, atque ita à pacto, quale superiùs descripsimus, recedatur. Possunt quidem homines, quibus commissa est potestas & administratio justitiæ, supplicium commerito pœnam condonare & impunitum dimittere, quia possunt deficere, justitiamque & pacta insuper habere. Quale quid in Deum cadere summa & absoluta ejus perfectio non admittit, non magis, quàm ut fallat, aut Deus esse desinat. Absoluta igitur Dei potentia non est eò usque extendenda, ut absolutæ ejus perfectioni deroget aut detrahat.

XXXII. Concedunt itaque Scholastici, quibus

opposita arridet opinio, quòd si habenda sit ratio justitiæ, (quâ nos actiones divinas destitui posse negamus) & redemtionis preciique justi pro redemtione exsolvendi; non potuerit id aliter præstari, quàm Filio Dei in carnem misso. Et distinguunt inter *liberationem*, quæ excludat respectum ad justitiam legitimamque satisfactionem; & *redemtionem*, quæ includat. Sic Albertus Magnus in Tertium, dist. xx, art. III: *Potest esse dubium, quamvis fuit alius modus possibilis liberationi nostræ, quòd tamen alius modus, quo redimeremur, non fuit possibilis.* Et adductis pro hac sententiâ rationibus, tandem concludit: *Sine præjudicio loquendo concedo eas rationes, & non fuit alius modus possibilis nostræ redemtioni, nisi per precii talis solutionem; nisi redemtio largè pro liberatione accipiatur: quia non est nisi duplex redemtio, scilicet jure belli, & ita redemti sumus à servitute diaboli per victoriam Christi; & solutione precii, & sic non sumus redemti à diabolo, quia absit ut Christus oblatus sit diabolo pro nobis, sed* oblatus est *Patri, & nos soluti sumus à decreto Patris obligante nos ad non intrandum paradisum, nisi tanta appareret in uno justitia humilitatis, quæ omnibus sufficeret.* Ipse Thomas in eamdem distictionem Tertii, quæst. I, art. IV: *Ex parte Dei fuit alius modus nostræ liberationis possibilis, quia ejus potentia limitata non est; quem si elegisset, convenientissimus fuisset: non tamen habuisset rationem redemtionis, sed liberationis tantùm, quia liberatio non fuisset facta per solutionem precij.* Lubet adjicere, quæ apud eumdem eodem loco art. II leguntur: *Ad hoc ut satisfactio esset condigna, oportebat quòd haberet virtutem infinitam, quia peccatum, pro quo fiebat satisfactio, infinitatem quamdam habebat ex tribus. Primò ex infinitate divinæ majestatis, in quantum offensa fuerat per contemtum inobœdientiæ: quanto enim major est in quem peccatur, tanto est gravior culpa. Secundò ex bono, quod per peccatum aufereba-*

rebatur, quod eſt infinitum, ſcilicet ipſe Deus, cujus participatione fiunt homines beati: nempe ἀντιλύτρῳ ſive precio redemtionis, quod pro nobis Filius Dei obtulit, præſtitum eſt, non modò ut à damnatione infinitæ durationis eximeremur, ſed etiam ut ad cœleſtem beatitudinem, quæ itidem infinitæ eſt durationis, & poſita in fruitione Dei æterni & infiniti, admitteremur. *Tertiò ex ipsa naturâ, quæ corrupta erat; quæ quidem infinitatem quamdam habet, in quantum in eâ poſſunt ſuppoſita in infinitum multiplicari:* imò multò magis multiplicantur peccata, pro quibus ſatisfactio exigitur. *Actio autem puræ creaturæ non poteſt habere infinitam efficaciam; & ideo nulla creatura poterat ſufficienter ſatisfactionem facere.* Quin eo loco Summæ, quem ſuperiùs produximus, ita loquitur: *Homo purus ſive merus ſatisfacere non poterat pro toto humano genere; Deus autem ſatisfacere non debebat: unde oportebat Deum & hominem eſſe Jeſum Chriſtum.* Ex recentioribus, ut id quoque obiter moneamus, agnoſcit Gregorius de Valentiâ, *ut homo liberaretur non quomodocumque, ſed ſimul faciendo ſatis juſtitiæ divinæ, ſic omnino verum eſſe, quòd non potuerit homo à peccato liberari, niſi per Chriſtum,* Tomo IV, diſp. I, qu. I, puncto V.

XXXIII. Neque verò videtur congruum eſſe ſummæ ſapientiæ divinæ, ſi vel citra omnem ſatisfactionem, vel citra ſufficientem genus humanum redimi potuiſſet, quòd nihilominus *Filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus eum tradidit.* Qui enim vel mediocriter prudens eſt, non profundit immenſas opes & omnes ſuas facultates ut id conſequatur, quod aut nullis aut levibus impenſis poſſit obtinere. Nos igitur in hoc, quod Deum feciſſe videmus, potiùs acquieſcamus, & ex imâ mente animi devotiſſimas gratias agamus, quòd voluerit nos juſtificare *per redemtionem factam in Chriſto Jeſu, quem propoſuit* Rom. 8, 32.

poſuit ut eſſet ἱλαστήριον, propitiatio ſive expiatio per fidem in ſanguine ipſius, ad demonſtrandam juſtitiam ſuam, Rom. III, 24. *Qui eſt ἱλασμὸς propitiatio pro peccatis noſtris; nec pro noſtris ſolùm, ſed etiam pro totius mundi*, 1 Ioh. II, 2. Et *per hoc manifeſta facta eſt caritas Dei in nos, quòd Filium ſuum unigenitum miſit in mundum, ut vivamus per eum. In hoc eſt caritas, non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum, ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris*, 1 Ioh. IV, 9 & 10. In hoc, inquam, quod factum nobiſque patefactum eſt, acquieſcamus, & curioſas quæſtiones, quarum apud Scholaſticos ingens eſt copia, miſſas faciamus.

XXXIV. Ex harum cenſu eſt quoque iſta, quâ quæritur, Num ſi Adam non peccaſſet, nihilominus Filius Dei incarnandus fuiſſet? Timidè affirmat Alenſis, & ſicut ipſe loquitur, *ſine præjudicio*, Summæ parte III, quæſt. II, art II, membro XIII. Similiter Albertus Magnus in Tertii diſt. XX, art. IV, *Dicendum*, inquit, *quod in hac quæſtione ſolutio incerta eſt: ſed quantum poſſum opinari, credo quòd Filius Dei factus fuiſſet homo, etiamſi numquam fuiſſet peccatum.—tamen nihil de hoc aſſerendo dico.* Magis cordatè negat Thomas Aquinas Tertiâ, quæſt. I, art III. Agnoſcit, *quoſdam dicere, quòd etiamſi homo non peccaſſet, Dei Filius incarnatus fuiſſet*, carne tamen nec paſſibili nec mortali, ad complendum ſcilicet & ornandum eximio hoc modo univerſum; *alios verò contrarium adſerere. Quorum*, inquit, *aſſertioni magis adſentiendum videtur. Ea enim, quæ ex ſolâ Dei voluntate proveniunt ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quatenus in Sacrâ ſcripturâ traduntur, per quam divina voluntas nobis innoteſcit.* Certum autem eſt, Sacram ſcripturam ubique inculcare, quòd propter redemtionem & ſalutem hominum Filius

Dei

Dei in mundum venerit; nec ullibi aliam caussam reddere. Hinc Bonaventura in Tertium, dist. 1, art 11, quæst. 11: *Tam novum quàm vetus testamentum, ubi de Filii Dei descensu loquuntur, generis humani liberationem rationem reddunt. Et si divina eloquia nobilissimam & præcipuam incarnationis rationem adsignant, & nihil etiam à nobis dicendum est præter ea; quæ nobis ex sacris eloquiis clarent; ideo magis videtur pietati fidei consonum, quòd præcipua incarnationis ratio sit liberatio generis humani, quàm aliter sentire.* Post aliqua subjungit: *Hic modus dicendi, etiamsi non videatur ita esse subtilis, sicut præcedens* sive oppositus, *plus tamen consonat pietati fidei in hoc, quod autoritatibus Sanctorum magis concordat; & Deum magis honorificat; etiam incarnationis mysterium magis commendat, & affectum nostrum ardentiùs inflammat. —Plus enim excitat devotionem animæ fidelis, quòd Deus sit incarnatus ad delenda scelera nostra, quàm propter consummanda incoata sua opera.* Hæc ibi & plura alia Bonaventura.

XXXV. Sed ad Thomam revertamur, qui quoniam rectè & cordatè adseruit, *quæ ex sola Dei voluntate proveniant supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non posse, nisi quatenus traduntur in Sacrâ scripturâ*; propterea subjungemus nonnulla ex articulo, qui proximè subsequitur. *Certum est*, inquit, *Christum venisse in hunc mundum non solùm ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros, sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ postmodum superaddita sunt: non quòd omnia deleantur (quod est propter defectum hominum, qui Christo non inhærent) sed quia ipse exhibuit, quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem. Tanto autem*, ait, *principaliùs ad alicujus peccati deletionem Christus venit, quanto illud peccatum majus est.* Et addit per subtilitatem Scholasticam, quâ sanè supersedere optimum factu est, peccata actualia majora esse

intensivè, quia sint voluntaria; peccatum verò originale majus esse extensivè, *quòd eo totum genus humanum inficiatur.* Magister ejus Albertus Magnus in Tertium, dist. xx, art. vi simpliciter & disertè affirmat *nos indigere redemtore non pro originali tantùm, sed etiam pro omnibus actualibus.* Notanda etiam ibidem hæc ejus verba: *Constat quòd fides Mediatoris conjungit justitiam Christi cum justificatis. Ergo sine justitiâ Christi nullum remittitur peccatum.* Quoniam ad Scholasticos prolapsi sumus, jungemus hac ipsâ de re sententiam Henrici Gandavensis ex Quodlibeti quinti articulo decimo. *Dicendum,* inquit, *quòd passio Christi meritoriè aperuit januam paradisi, & amovit omne impedimentum introëundi ipsum, & quoad impedimentum naturæ per peccatum originale, & quoad impedimentum personæ per peccatum actuale. Et hoc omnibus quoad sufficientiam; quoad efficaciam autem solùm his, qui sibi membra unita per sacramentum baptismi, & in eo permansuri.*

XXXVI. Cæterùm intermissis quæstionibus tum veterum tum recentium Scholasticorum, quas inter multas non modò ociosas & vanas & insolubiles, sed etiam ridiculas & absurdas esse constat, ad rem ipsam porrò considerandam progrediemur. Certum est redemtum esse genus humanum morte Christi, utpote precio sufficiente, imò redundante, & redemtum esse à peccatis pœnisque peccatorum, quibus tenebatur obnoxium, nempe ab irâ divinâ & morte æternâ; atque adeo pro eis Deo, ne nobis intentare aut inferre velit, satisfactum. *Quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus,* Rom. v, 10. *Ille animam suam pro nobis posuit,* 1 Ioh. iii, 16. *Ille venit, ut daret animam suam in* λύτρον *pro multis,* Matth. xx, 28; sive *in* ἀντίλυτρον *pro omnibus,* 1 Tim. ii, 6. Atque adeo *precio emti sumus,* 1 Cor. vi, 20;

&

& VII, 23: *non* quidem *corruptilibus auro & argento, sed pretioso sanguine utpote agni immaculati & incontaminati Christi*, I Petri 1, 19. Vnde de eo Iohannes Baptista, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* Ioh. 1, 29. Ejus enim *corpus pro nobis* in mortem est *traditum*, Luc. XXII, 19; & *sanguis effusus in remissionem peccatorum*, Matth. XXVI, 28: sive *ad expiandum peccata populi*, Hebr. 11, 17. Igitur *in eo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem* videlicet *peccatorum*, Eph. 1, 7. Sic *nos redemit à maledictione legis*, Gal. III, 13: cujus hæc est decretoria sententia, *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*. Sic inter Deum & homines *pax per sanguinem crucis ejus facta est*, Coloss. 1, 20. *Sic Deus in Christo mundum reconciliat sibi, non imputando eis peccata ipsorum*, II Cor. V, 19. Sic igitur homines, qui ad æternam vitam capessendam creati erant, cujus etiam intuitu divinitus promulgabatur, *Quo die comederis, omnino morieris*; nempe morte non solùm temporali sed etiam æternâ & æternæ vitæ oppositâ: quum, inquam, homines ad æternam vitam & beatitudinem creati, tum per Adami peccatum & inobœdientiam, tum per propriam iniquitatem illâ excidissent & exclusi essent; per Christi satisfactionem & justitiam restituuntur, & ad eam suo tempore habendam denuò admittuntur. *Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius*, Rom V, 10. Nempe inenarrabilem vim & efficaciam mortis Christi manifestavit reditus ejus in vitam & resurrectio. *Demonstratus est Filius Dei potenter, per resurrectionem ex mortuis*, Rom. 1, 4. Quoniam itaque mors Christi inefficax fuisset, nisi excepisset eam resurrectio; & præterea humile est mori, gloriosum autem resurgere; propterea quod

Gen. 2, 17.

inter effectus meritorum Christi maximè eminet, resurrectioni ejus tribuitur. Hinc sanctus Petrus 1 ep. 1, 3: *Deus & Pater domini nostri Jesu Christi ex multa suâ misericordiâ regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Ibidem III, 21: *Baptismus nos servat per resurrectionem Iesu Christi.* Et sanctus Paulus Rom. IV, 25: *Traditus est* in mortem *propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

XXXVII. Sic itaque solutum est pro nobis λύτρον sive precium redemtionis, & abundè satisfactum justitiæ divinæ, ita tamen, ut partes quoque suas interponat obeatque misericordia & eximia φιλανθρωπία sive caritas, quâ Deus prosequi voluit homines lapsos & non dignatus est angelos lapsos. Nempe modum & rationem redimendi inivit; & quum secundum inviolabilem justitiam satisfactio sive precium, quod infinitæ dignitatis & valoris esset, exigeretur, idque de suo homines dependere non possent, totum Deus de suo obtulit, nempe unigenitum suum Filium, qui factus homo, ut ad homines, quæ præstabantur, referri, sive hominibus imputari & communicari possent, præstitit, quibus præstandis aliàs genus humanum prorsus impar erat. In numerum igitur hominum cooptato Dei Filio, jam ab homine, qui tamen non merus homo, sed simul Deus sit, præstatur, quod aliter præstari non potuisset: hocque ipsum & pœna, quam pro alienis delictis Filius Dei exsolvit, habetur & imputatur, quasi delinquentes ipsi, qui tamen personæ sunt prorsus diversæ, præstitissent & exsolvissent. Sic itaque per misericordiam divinam temperatur & mitigatur justitia divina: quod nemini mortalium, nisi divinitus revelatum esset, in mentem venire potuisset. Nempe *commendat suam caritatem Deus* *erga*

erga nos, quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est, Rom. v, 8. *Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit*, Ioh. III, 16. *Per hoc patefacta est caritas Dei in nos, quòd Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexit nos, & misit Filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris*, I Ioh. IV, 9 & 10. *Ipse prior dilexit nos*, ibidem, 19. Sic itaque per Dei misericordiam & gratiam sive gratuitam benevolentiam, tamquam caussam primariam, via ad redemtionem generis humani est patefacta.

XXXIIX. Hoc igitur ubi à Deo annunciatum est primis parentibus in summo pavore & desperatione constitutis, nec ullius remedii gnaris, verè fuit evangelium, sive bonum & lætum nuncium, quo tandem recreati sunt, & angustiis erepti. Verba primi evangelii hæc sunt. *Dixit Dominus Deus serpenti: Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & inter semen ejus: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum*, Gen. III, 15. Vbi notandum, quum serpens infernalis sive diabolus junctus fuerit cum terreno, & primaria caussa sermonis & discursus, qui cum Hevâ instituebatur, atque adeo quando loquutus scribitur serpens, intelligendum sit, ejus loquutionis satanam sive infernalem serpentem principalem fuisse caussam, terrenum non nisi instrumentalem: quòd pari modo verba, quæ Deus ad serpentem facit, utrumque concernant, & indicta pœna utrumque tangat. Dæmon enim, qui in persuadendo peccato cum terreno serpente voluit jungi, & unam quasi personam moraliter constituere, cum eodem quoque in pœna jungi debuit, ut verba, quibus irrogatur, non quidem à terreno serpente aliena sint,

intermiſceantur tamen, quæ etiam dæmonem, principem mali cauſſam, feriant. Qualia ſunt, *Semen mulieris*, id eſt, natus ex muliere virgine abſque copulâ viri, *conteret caput tuum*, id eſt, opera tua, quibus ad perdendos homines unicè intentus es & incumbis, diſſolvet & deſtruet. Nam, ut loquitur ſanctus Iohannes, *ad hoc manifeſtus factus eſt Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*, 1 Ep.III, 8. Opera verò diaboli ſunt, quòd peccare fecit facitque homines, & per peccatum morti & damnationi obnoxios reddit. His operibus ſibi placet, triumfat & perpetuò incumbit. At ſemen mulieris ſive filius virginis *peccata noſtra ipſemet ſurſum tulit in corpore ſuo ſuper lignum*, 1 Petri II, 24; eſt *agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi*, Ioh.I, 29. *Ille apparuit* ſive incarnatus prodiit, *ut peccata noſtra tolleret*, 1 Ioh.III, 5. *Particeps factus eſt carnis & ſanguinis*, id eſt, humanæ naturæ, quam adſumſit, *ut per mortem aboleret eum, penes quem eſt mortis imperium, hoc eſt, diabolum*, Hebr. II, 14. Dicitur autem penes diabolum eſſe imperium mortis, quia ei tamquam lictori à Deo commiſſum ſive permiſſum eſt, ut illos, qui in morte captivi detinentur, affligat & torqueat. Sic igitur eripimur è poteſtate tenebrarum, ſic deſtruuntur opera diaboli, ſic conteritur caput ſerpentis; imò *ſatanas ſub pedibus noſtris*, Rom. XVI, 20. Sequitur apud Moſen: *Et tu conteres ei calcaneum*. Non tu quidem attinges caput, nec primarium finem, qui eſt, ut qui tamquam membra cum Servatore capite ſuo per fidem cohærent, æternâ vitâ potiantur, evertes; inſidiaberis tamen tum capiti tum membris, adverſaberis, perſequutiones excitabis, & quocumque poteris modo nocebis. Nolim negare, myſterium redemtionis noſtræ pluribus & fortè manifeſtioribus verbis tunc expoſitum fuiſſe. Hæc verò ſola Scripturæ credita ſunt, nec

alibi

alibi allegantur, quòd succedentibus temporibus de semine mulieris sive Filio Virginis & Dei contrituro caput serpentis & opera diaboli destructuro clariora, quorum commodior usus, promulgarentur & scriberentur.

XXXIX. Porrò constat divino huic de humanâ redemtione promisso sive evangelio ab hominibus fidem habendam, sicut sanè quibuscumque etiam revelationibus divinis; & præterea in eo fiduciam veniæ & salutis consequendæ collocandam fuisse. Nempe promissio divina, utpote citra omne dubium vera, adsensum exigit: quatenus autem nostrum est bonum, fiduciam. Vero videlicet adsentimur; in bono, quod præsens est, sicut promissiones evangelicæ dum annunciantur, præsentes hominibus sistuntur, confidimus; bonum, quod nondum adest, speramus. Ita avarus in opibus, quas præsentes tenet, fiduciam ponit; quas non habet, sperat. Manifestum igitur est promissionibus divinis evangelicis ab eo, cui proponuntur, credendum esse & confidendum, sive præbendum esse adsensum & fiduciam; alioquin non profuturas, scilicet si neque veræ existimentur, neque tales, in quibus nostrum bonum situm sit.

XL. Hominibus igitur post lapsum remissione peccatorum & salute potiri cupidis hæc conditio posita est, ut evangelio divinitus revelato & promulgato fidem habeant, id est, Christo promisso & venturo innitantur. Hinc sanctus Petrus Act. XV, 11: *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum &* antiqui Patres servati sunt. Rectè igitur Augustinus epistolâ CLVII: *Profectò quod scriptum est, Non esse aliud* Act. 4, 12.
nomen sub cælo, in quo oporteat salvos fieri nos; ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitia-
tum

tum est genus humanum. Et 1 de peccatorum meritis & remissione cap. XI: *Regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis sanctis, quicumque antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen gratiam pertinebant.* Et 1 contra duas epistolas Pelagianorum cap. XXI: *Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.*

XLI. Quin fides in Christum Servatorem non saltem est qualiscumque conditio, sed suo modo à parte hominis necessaria aliqua caussa. Quod enim ante lapsum præstitisset perfecta legis sive mandatorum divinorum, tum naturali lumine cognitorum, tum peculiaris illius positivi de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali observatio; id post lapsum præstat fides habita evangelio. Non quidem potest creatura à suo creatore ullo modo aliquid mereri, si vox *merendi* capiatur secundum justitiam vel commutativam vel distributivam: etiamsi positâ promissione divinâ possit aliquid consequi; quo sensu, nempe ut *mereri* nihil aliud sit quàm *consequi*, scriptores deficiente latini sermonis puritate voculam frequenter usurparunt: habent tamen opera, præsertim in sensus incurrentia, uti laboris ita quoque meriti majorem quamdam speciem, quàm fides, quæ nullum præ se fert laborem. Hinc videtur dicere sanctus Paulus Rom. IV, 4: *Ei, qui operatur merces non imputatur ex gratia, sed est ex debito.* Non vult autem nos quidquam à Deo flagitare, tamquam nobis propter labores nostros jure debitum. Et Rom. XI, 6: *Si per gratiam, non jam ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia; alioquin opus jam non est opus.*

XLII.

XLII. Est igitur modus obtinendæ salutis post lapsum prorsus alius, quàm fuisset, si homines lapsi non essent; quo statu nec remissione peccatorum nec Redemtore, & proinde neque evangelio de ejus adventu, neque fide illi habendâ opus fuisset. Neque placuit Deo hominibus lapsis eas vires, quibus ante lapsum instructi legem perfectissimè implere poterant, restituere. Viribus igitur amissis lex impotens reddita est ad salutem conferendam, quemadmodum indicatur Rom. IIX, 3. At contrà *Evangelium est potentia Dei*, sive à Deo constitutum organum potens & efficax *ad salutem omni credenti, Iudæo primum, tum etiam Græco. Iustitia enim Dei*, quam scilicet nobis confert & imputat, *per illud revelatur ex fide in fidem*, ut totum negotium à parte nostrâ tamquam aliqua caussa conficiat fides, *sicut scriptum est, Iustus ex fide vivet*, Rom. I, 16 & 17. Opponuntur itaque Evangelium & Lex, Fides & opera legis sive juxta præscriptum legis facta. Quod de Evangelio & Fide affirmatur, hoc de Lege ejusque operibus negatur: nempe affirmatur de Evangelio, quòd sit ex parte Dei offerentis, & de Fide, quòd sit ex parte hominis apprehendentis, caussa justificationis & salutis. Hoc Legi & Operibus adimitur. *Ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu Dei. Absq; lege justitia Dei manifesta facta est: justitia, inquam, Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis. Siquidem Deus unus est, qui justificabit circumcisionem* sive circumcisos *ex fide, & præputium* sive præputiatos *per fidem*, Rom. III, 20 21, 22, 28, 30. In eamdem sententiam Gal. II, 16: *Scientes non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi; etiam nos in Christum Iesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis,*

propterea quòd non justificabitur ex operibus legis ulla caro. III, 7: *Nostis eos, qui ex fide sunt*, vel mediante fide justificari & servari cupiunt, *esse filios Abrahami.* At *quotquot ex operibus legis sunt*, sive salutem quærunt & exspectant, *sub maledictione sunt.* Nam *nullum per legem justificari apud Deum manifestum est, quoniam justus ex fide vivet*, vers. 10 & 11. *Conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio* sive promissa hereditas æternæ vitæ *ex fide Iesu Christi daretur credentibus*, v. 22. *Lex pædagogus noster fuit in Christum, ut ex fide justificaremur*, vers. 24. c. v, 4: *Evacuati estis* & separati *à Christo, quicumque per legem justificamini.* Eph. II, 8 & 9: *Gratiâ servati estis per fidem; non ex operibus.*

XLIII. Hæc ob oculos ponere voluimus, ut elucescat discrimen inter pactum legale, quod ante lapsum fuit, & pactum evangelicum, quod post lapsum obtinet. Sicut enim perfecta legis observatio, si non intervenisset lapsus, fuisset à parte hominis medium consequendæ æternæ beatitudinis; ita postquam lapsus est homo, medium consequendæ remissionis peccatorum & salutis est fides Evangelio habenda. Nempe perinde est, ac si Deus dixisset, Promitto vobis veniam peccatorum & æternam vitam; (*hæc est promissio, quam ipse pollicitus est nobis, nempe æterna vita*, 1 Ioh. II, 25) stipulor autem à vobis fidem evangelicis meis de mittendo in mundum Servatore promissionibus habendam. Sicut igitur illud à conditione appositâ Legale, ita hoc meritò dicitur Evangelicum pactum. Pactum autem inter Deum & hominem non potest esse pactum, quale inter pares, ut liberum sit homini conditionem positam acceptare vel repudiare. Aut enim acceptare & præstare oportet, aut perire. Obligatio igitur ad præstandum non pendet à consensu hominis acceptantis, sed à volunta-

luntate & imperio Dei imponentis. Deus tamen juxta summam suam benignitatē & φιλανθρωπίαν συγκαταβαίνει, & ne videatur nobiscum rigidè agere, sed potiùs comiter & blandè, quod lex & mandatum appellari posset, pactum appellat. Nihilominus quod est Exodi XXIV, 8, *Ecce sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*; ita effertur Hebr. IX, 20, *Hic est sanguis pacti, quod mandavit vobis Deus.* Et 1 Ioh. III, 23: *Hoc est ejus mandatum, ut credamus nomini Filii ejus Iesu Christi, & diligamus alii alios, sicut dedit mandatum nobis.*

XLIV. Latus autem est usus vocabuli ברית, quod latinè solet reddi *fœdus, pactum*; etiamsi *pactum* aptius sit ad significandum contractus privatorum, *fœdus* conventionibus principum & populorum magis quadret. Quæcumque igitur statuta, promissa, mandata Dei dicuntur pacta Dei, etiamsi nulla apponatur conditio, nec ab alterâ parte accesserit acceptatio. Ita Achan, qui contrà, quàm Deus ordinaverat, nonnulla ex spoliis Ierichunticis acceperat & occultarat, *fœdus Domini transgressus esse* scribitur Ios. VII, 11, 15. Imò memoratur pactum Dei cum die & nocte; quia videlicet non minùs suo tempore redeunt dies & nox, quàm si certissimum & firmissimum eâ de re initum esset pactum. *Sic dixit Dominus, Si irritum facere potestis pactum meum de die, & pactum meum de nocte, ut non sit dies & nox tempore suo; etiam pactum meum irritum fiet cum David servo meo, ut non sit ei filius regnans super thronum ejus*, Ierem, XXXIII, 20: & iterum paucis interjectis; *Si non erit pactum meum cum die & nocte, & statuta cœli & terræ non posui, etiam semen Iacobi & Davidis servi mei abjiciam.* Hoseæ II, 18 in hunc modum habent verba: *Feriam eis*, vel *pro eis fœdus in die illa cum bestiis agri, & cum volucribus cœli, & reptilibus terræ, & arcum &*

gladium & bellum conteram de terrâ & dormire eos faciam securè. Iesaiæ XXIIX, 15 memorantur qui dixerint, *Se percußisse fœdus cum morte, & cum sepulcro fecisse pactum* sive visionem, id est, venisse in colloquium, in quo conventum fuerit, se ab eo non iri absorptum. Sed hæc per figuram & sublime dicendi genus prolata esse manifestum est.

XLV. Cæterùm ut major esset apparentia pacti, voluit Deus aliquando, quos res concernebat, adesse, & conditiones à Deo promulgatas audire & acceptare. Sic factum, quum lex promulgaretur, *Omnis populus videbant* sive percipiebant *tonitrua, & fulgetra, & sonitum buccinæ, & montem fumantem: & dixerunt Mosi, Loquere tu nobiscum & obsequemur; & ne loquatur nobiscum Deus, ne fortè moriamur. Respondit autem Moses populo, Ne timeatis, quia ut tentaret vos,* probaret seu innotescere faceret, quali sitis animo, *venit Deus & ut sit timor ejus coram facie vestrâ, ne peccetis,* deterriti videlicet horribilibus pœnis, quibus inobœdientiam & contumaciam vindicaturum esse Deum hinc potestis intelligere, Exodi XX, 18, 19, 20. Idipsum fœdus Moses morti vicinus repetebat sive renovabat Deut. XXIX; unde nonnulla, ut res planior sit, ad-
Vers. 1. scribemus. *Hæc sunt verba fœderis, quæ præcepit Dominus Mosi, ut pangeret cum filiis Israël in terrâ Moab, præter pactum, quod*
Vers. 10. & seqq. *pepigit cum eis in Horeb.* Et post aliquammulta: *Vos statis hodie omnes coram Domino Deo vestro, primores vestri tribuum vestrarum, seniores vestri & moderatores vestri, omnes viri Israëlitæ; parvuli vestri, uxores vestræ, & peregrinus qui est in medio castrorum tuorum, à cæsore lignorum tuorum usque ad haurientem aquas tuas: ut transeas in fœdus Domini Dei tui cum adjuratione ejus,* sive junctis maledictionibus, quas Dominus se refractariis irrogaturum sanctè attestatus est; quod

quod Dominus Deus tuus pangit tecum hodie: ut statuat te sibi in populum, & ipse sit tibi in Deum, quemadmodum dixit tibi, & quemadmodum juramento promisit patribus tuis, Abrahamo, Isaaco & Iacobo, Neque vobiscum solis pango fœdus hoc cum adjuratione istâ, sed cum eo, qui adstat hîc nobiscum hodie coram Domino Deo nostro, & cum eo qui non est hîc nobiscum hodie: — ne sit inter vos vir aut mulier aut tribus, cujus cor avertat se hodie à Domino Deo vestro, ut vadat ad colendum deos gentium. Hæc hîc sufficiant: cætera legi possunt in ipso Deuteronomio. Pari fere modo Iosua morti vicinus divinum fœdus populo proponit & inculcat. *Pepigit Iosua fœdus cum populo die illa, proposuitq; ei statuta & judicia* sive conditiones fœderis *in Sichem*, Ios. XXIV, 25. Cæterùm quum quæ præscripta erant fœdere isto per Mosen promulgato, valde labefactata & neglecta essent postremâ ætate Salomonis, & sub regno filii ejus Rehabaami & nepotis Abiami, pronepos ejus Asa, rex pius, fœdus illud quasi renovavit, & congregati ab eo & cum eo Ierusalemum subditi *iniverunt fœdus de requirendo Domino Deo majorum suorum, ex toto corde suo & ex toto animo suo; adeo, ut quisquis non requisiturus esset Dominum Deum Israëlis morte afficiendus esset, sive parvus sive magnus, sive vir sive fæmina. Et jurarunt Domino cum sono magno & clangore, tubisq; & buccinis*, II Chronic. XV, 12, 13, 14. Sic quum cæsâ Athaliâ rex Iudæ constitueretur Ioas operâ Ioiadæ sacerdotis, itidem renovatum est fœdus. Nempe *pepigit Ioiada fœdus inter Dominum & regem ac populum, ut esset populus Domini*, II Reg. XI, 17. Postquam impius rex Achaz multiplici idololatriâ Domini iram sexdecim annis, quibus regnaverat, provocasset, filius & successor ejus Ezechias, *Nunc est*, inquit, *mihi in animo pangere fœdus cum Domino Deo Israëlis, ut avertat à nobis æstum iræ suæ*, II Chron. XXIX, 10. Iterum

quum Iosias rex invento per Hilkiam sacerdotem in domo Domini libro legis, animadvertisset, quantopere ab ejus præscriptis discessum esset & provocata ira divina, *adscendit in domum Domini, & omnes viri Jehudæ omnesq; habitatores Ierusalem cum eo, & sacerdotes & prophetæ & universus populus à minimo usque ad maximum, & legit in auribus eorum* sive ipsis audientibus *omnia verba libri fœderis, qui inventus fuerat in domo Domini. Stetitq; Rex juxta columnam, & pepigit fœdus coram Domino, se sequuturos Dominum, & observaturos præcepta ejus & testimonia ejus ac statuta ejus ex toto corde & ex toto animo, ut suscitarent* sive denuò in praxin rraducerent *verba fœderis ejus, quæ scripta sunt in libro illo: & stetit* sive consensit *universus populus in fœdere*, II Reg. XXIII, 2 & 3. Iunge & confer II Chron. XXXIV, 29 & seqq. Sed de illo fœdere, quod Mosaicum appellare licet, paullò pòst plura.

XLVI. Præcipua & ad quæ animum, quomodo se habeant, inprimis advertere nos oportet, sunt Legale, juxta quod & conditiones ab eo positas temporariam & perpetuam felicitatem adepti essent homines, nisi peccatum intervenisset; & Evangelicum, per quod & per fidem, quæ evangelio divinitus annunciato habetur, impetrant post lapsum homines peccatores peccatorum & pœnarum remissionem, & non quidem terrenam sed cœlestem beatitudinem. Dona & beneficia supernaturalia, quæ amissa sunt, non restituuntur; nec redeunt mortis & ægritudinum aliarumque calamitatum declinandarum adminicula; sed naturæ molestiarum feraci suus cursus permittitur: quin etiam aliquam partem improbitati humanæ. Dicit itaque Servator ipse: *Qui non accipit crucem suam, & ponè me sequitur, non est me dignus*, Matth. X, 38. Item, *Si quis vult ponè me venire, abneget semet-*

metipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, Matth. XVI, 24. Repetitur Marci IIX, 34; Lucæ IX, 23; XIV, 27. *Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei*, Act. XIV, 22. *Et omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persequutionem patientur*, II Tim. III, 12. Nulla igitur fœderi evangelico, præsertim Novo, addita est terrenæ eminentiæ vel inviolabilis prosperitatis indubitatò obtinendæ promissio, sicut olim addita fuerat pacto legali Mosaico. *Novimus* tamen, *iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum*, Rom. IIX, 28: atque adeo *gloriamur de tribulationibus*, Rom. V, 3. Et quamvis non ita ordinariam & inviolabilem, suam tamen aliquam *promissionem vitæ præsentis habet pietas* fidelium, I Tim. IV, 8.

XLVII. Sicut autem paullò antè dictis Apostolicis monstravimus, eam vim justificandi & salvandi, quæ fidei tribuitur, operibus legis adimi; sic etiam porrò manifestum est, nullum opus à lege naturali vel morali vel etiam ceremoniali præscriptum & injunctum ad efficiendam justificationem & salutem concurrere. Esto, quòd adesse oporteat, non tamen aderit, tamquam caussa quædam positivè efficiens & influxum in effectum importans. At fidei id ipsum tribuunt loquutiones Apostolicæ, non sanè ut caussæ primariæ, sed ut secundariæ cuidam à parte hominis, sive instrumentali, ut ita post misericordiam divinam Christique incarnationem & meritum, tamquam primarias caussas, sicut secundariæ & instrumentales (quæ vox commodissima videtur) habeantur à parte Dei, Evangelium, quod is facit prædicari & annunciari; à parte verò hominis Fides, pro ut complectitur adsensum & fiduciam innixam misericordiæ divinæ, & inde profectis promissis meritoque Christi; quæ citra revelationem per evangelium factam nobis planè essent

inco-

incognita, & ad notitiam nostram numquam pervenissent. Et hoc est quod dicitur *Justus ex fide vivere; Nos justificari ex fide, per fidem.*

XLIIX. Objicies fortè, quòd etiam dicimur *per multas tribulationes ingredi in regnum Dei,* Actor. XIV, 22: jubemur esse *imitatores eorum, qui per fidem & patientiam heredes fiunt promissionum*, Heb. VI, 12. Respondeo voculam PER aliquando indicare caussam, aliquando viam, quæ transeunda sit, priusquam ad metam perveniatur: priore modo accipi, quum dicimur per fidem heredes fieri promissæ beatitudinis; posteriore, quum per tribulationes & patientiam. *Patientia enim nobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportemus promissionem*, Heb. X, 36. *Si toleramus, etiam cum eo regnabimus*, Hebr. II, 12. Equidem nequeo venire ad vicinam urbem, nisi per viam, quæ eò ducit: efficienter tamen equi me eò trahunt vel vehunt, non via per quam itur. *Per fidem* igitur idem est, quod *ex fide*; quæ loquutio non admittit parem æquivocationem. Quoniam etiam diximus, proprium objectum fidei salvificæ esse, quæ non nisi ex revelatione evangelicâ innotescant; inde patet, etiamsi lex naturaliter nota præcipiat, ut quibuscumque divinis effatis & promissionibus adsensum præbeamus; quia tamen lex naturæ evangelca mysteria & promissa non pandit, ideo fidem propriè & directè ex lege naturæ non derivari, vel ab eâ pendére, sed imputandam esse Evangelio & revelationi per id factæ.

XLIX. Porrò sicut ante lapsum ad præstandam perfectam universæ legis naturalis & positivæ observationem, qualis tunc exigebatur, non sufficiebant vires naturæ secundum se spectatæ & sibi relictæ, sed ut præstare possent, supra conditionem merè naturalem evectæ &

doti-

dotibus naturam excedentibus instructæ erant; sic quoque post lapsum & sub statu pacti evangelici fides *Dei donum est*, Eph. II, *8*. *Donatur nobis in Christum credere* Phil. I, *29*. *Deus enim is est, qui efficit in nobis & velle & agere pro sua benevolentia*, Phil. II, *13*. Largitur itaque vires facultatem naturæ excedentes, per quas in intellectu & voluntate, potentiis sanè naturalibus, sed ad hoc non potentibus, fides nascatur, alatur, conservetur. Largitur autem per evangelium sive cum ipso annunciato evangelio. Vnde dicitur *Evangelium potentia Dei*, Rom. I, *16*; sive potens & efficax Dei organum. Et *fides ex auditu est*, Rom. X, *17*. *Christus in lucem produxit vitam & incorruptibilitatem per Evangelium*, II Tim. I, *10*. *Renati sumus per verbum Dei vivi*, I Petri I, *23*. Dixit Angelus Cornelio centurioni: Petrus apostolus *tibi ea dicturus est, per quæ tu serveris & tota domus tua*, Act. XI, *14*. Sic igitur Evangelium est à parte Dei organum, per quod efficitur salus hominum: & Evangelio conjunguntur sive unà cum annunciato & audito evangelio & per illud suppeditantur dona & auxilia naturalibus viribus superiora, sine quibus fides haberi non potest, sive per quæ Spiritus sanctus fidem in animis audientium operatur.

L. Non operatur autem potentiâ absolutâ, sic enim omnes audientes obtemperare & credere oporteret, nec Spiritui sancto resistere, vel operationem ejus per auditum incoatam interrumpere aut excutere possent: sed permittit resistentiam. De Iudæis enim affirmat protomartyr Stephanus, quòd *sicut patres ipsorum, ita quoq; ipsi semper resistant & obnitantur Spiritui sancto*, Act. VII, *51*. De ijsdem Paulus & Barnabas: *Vobis necesse fuit primùm exponi verbum Dei; postquam autem repellitis illud, & indignos vosipsos decernitis æterna vita, ecce convertimur ad gentes*, Act. XIII,

 46. Re-

46. Repelli itaque poteſt verbum Dei ſive Evangelium, & unà cum eo excuti conjuncta adſenſum & fiduciam eliciendi facultas & conatus; atque adeo reſiſti Spiritui ſancto. Rem conabimur declarare exemplo. Facultas videndi ineſt oculo, non tamen directè intuendi culminantem ipſo meridie ſolem, ejusque ſubſtantiam, vel circa eum ſidera, quæ Medicæa vocant, contemplandi. Sic etiam intellectui ineſt facultas præbendi adſenſum vero, quod evidens eſt, aut ex principiis naturâ notis deduci poteſt; ſimiliter collocandi fiduciam in bono, quod ad eum, quem diximus, modum innotuit: at non ineſt facultas adſentiendi vero, vel fiduciam collocandi in bono, quod per Evangelium revelatur, quoniam ſuperat captum ingenii humani, ex nullis principiis naturâ notis derivari poteſt, nec in ſe evidens eſt, & ne quidem quòd revelatio, per quam innoteſcit, à Deo profecta ſit, evidens eſt. Ponamus placere Deo, ut homines ſolem ad eum, quem diximus, modum inſpiciant & contemplentur, faciatque huic fini in locis celebribus & paſſim notis exſtare aquam, quâ ſi liniantur oculi, tum per eam operante Deo accipiant facultatem intuendi modo, quo diximus, ſolem. Multi quidem utuntur hac aquâ: alii verò ſpernunt & adhibere nolunt: alii etiamſi adhibuerint, oculos tamen obtegunt vel aliò convertunt, atque ita facultatem, quâ per admirabilem illam aquam divinitus inſtrui cœperant, excutiunt & amittunt. Aqua enim & per eam divina operatio facultatem quidem largiuntur, ſed neceſſitatem non imponunt. Sic etiam facit Deus annunciari Evangelium, & per id auditum operatur fidem & ſalutem. Aliis audientibus & *fructum adferentibus in patientiâ*, alii audire negligunt & contemnunt; alii audiunt quidem & Deo per id operante *ad tem-*

pus

pus credunt, & tempore tentationis recedunt; alii *à sollicitudinibus & divitiis ac voluptatibus vitæ suffocantur, & fructum non perferunt*, Lucæ IIX, *13, 14, 15*. Nempe Deus per annunciatum & auditum Evangelium facultatem quidem Evangelio obtemperandi & credendi impertit, sed necessitatem non imponit. Quum dicimus Deum donare & impertire facultatem & vires, Pelagianismum declinamus: quum addimus, per annunciatum & auditum Evangelium, Enthusiasmos repudiamus; denique quum adjicimus necessitatem non imponi, fatum vel absolutum divinum decretum negamus, & hominibus libertatem, quæ ipsis competit, conservamus. Annunciato videlicet Evangelio possunt credere; possunt etiam non credere. Quòd possunt credere, Evangelio & Spiritui sancto per id operanti debetur: quòd tamen etiam possunt non credere, inde est, quòd Spiritus sanctus per absolutam suam potentiam, cui nemo resistere valeat, non operatur, sed ad ordinem quemdam & conditiones se demittit; & quòd in homine connata pravitas adhuc residua, nec penitus sit exemta vel prorsus exstincta. Hæc nobis sufficiant, nec arcana operationis divinæ, quâ per evangelium & fidem nos regenerat, nimis curiosè scrutemur, vel accumulatis subtilitatibus involvamus. Deterret Servator ipse, quando dicit Nicodemo Ioh. III, *8*: *Ventus ubi vult spirat; & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat*, nescis determinatè locum, ex quo oriatur aut exhaletur, *& quò vadat*, sive ubi positurus sit & conquieturus: *ita est, quisquis genitus est ex Spiritu*, sive renatus gratiâ & operatione Spiritus sancti, quòd scilicet, quomodo ea in particulari per omnia sese habeant, hisq; vel illis opitulentur præcisè sciri & pervideri nequeat, atque adeo exclamandum sit cum Apostolo Paulo: *O profundas divi-*

tias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quàm inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles! Rom. XI, 33.

LI. Possit etiam hoc alicui in mentem venire dubium, num quia juxta perspicuam Scripturam negamus hominem justificari & salvari per legem, & ex operibus legis; propterea pariter negemus necessarium esse homini salutem consequuturo ullam operam observandæ legi dare, atque adeo statuamus non esse necessarium homini, qui coram Deo justificatur, ut propositum habeat emendandi vitam, & servari eum posse, etiamsi in peccatis divinâ lege vetitis pergat. Minimè verò. Id saltem negatur, observationem vel opera legis ita esse à parte nostrâ justificationis & salutis caussam, sive apprehendendi eam instrumentum, quemadmodum est fides. Quum enim affirmamus *Solam fidem justificare & servare*, non est sensus, quòd à parte Dei non sit caussa justificationis & salutis Divina misericordia, Incarnatio & mors Christi, Verbum & Sacramenta, quæque per ista peragitur Spiritus sancti operatio; neque est sensus, quòd à parte nostrâ non sit necessarium agnoscere peccata & iram Dei adversus peccata, aut de illis dolere, aut propositum habere ab illis in posterum abstinendi: sed hic est sensus, quòd sola fides à parte hominis ad justificationem & salutem tamquam caussa vi aliquâ efficiendi juxta divinum beneplacitum prædita concurrat, ita videlicet, ut positâ & præsente fide ponatur etiam & præsens sit justificatio & status salutis, sive jus, si in eo statu perseveretur, adeundi æternam salutem. Adsint cætera omnia, si absit fides, non aderit justificatio & status is, quem diximus, salutis. Iudas proditor agnovit scelus suum, acerbè doluit, quin etiam propositum numquam iterandi non defuit: sed quum fide destitueretur, periit. Sola

igitur

igitur est fides, per quam in statum gratiæ homo recipitur.

LII. Interim non negamus, si res ipsas, ut in se sunt, consideremus, memorato statui propinquiorem esse qui resipiscere cœperit, peccata & adversus ea Dei iram agnoverit & doleat, quàm in quem nihil eorum adhuc cadat. Cæterùm in solam fidem id, quod diximus, competit. Affirmat Scriptura, quin ipse Servator aliquoties sanctè & disertè, quòd *quisquis credit in Filium, non pereat sed habeat vitam æternam.* Verum hoc esse non poterit, nisi aut fides sola rem conficiat; aut certè ei inseparabiliter jungatur, quod conficiat. At de fide adseritur, quòd *per fidem* & *ex fide* justificemur & salvemur: de nullâ verò re aliâ: quin de operibus legis, fidei propterea in hoc negotio oppositis, disertè negatur, ut pridem ostendimus. Sola itaque fides ex divino beneplacito huc est evecta, ut hominem Deo reconciliet, & in statu gratiæ ac amicitiæ collocet, quemadmodum Abraham, quum credidisset, id ei imputatum est ad justitiam, & amicus Dei vocatus est, Iacobi II, *23*; Ies. XLI, *8.*

LIII. Quoniam itaque qui per fidem justificantur, in statum gratiæ & amicitiæ divinæ recipiuntur; ideo eos peccato operam dare vel servire vel secundum carnem vivere non oportet. *Nam si secundum carnem vixerint, morientur* morte secundâ vel æternâ: *sed si Spiritu actiones corporis* aut carnis, ut Vulgata habet, *mortificaverint, vivent*, Rom. IIX, *13.* Nempe Spiritui sive gratiæ & operationi Spiritus sancti, quæ unà cum evangelio & per evangelium confertur, id etiam acceptò est ferendum, quòd fideles possunt resistere peccato, ne dominetur ipsis, & ipsi ei serviant, atque adeo illa, ad quæ desideria carnis sæpe impellunt, opere perficiant; sive, quod eo-

dem recidit, hactenus mandata Dei servare possunt, ne eorum contumax & repugnante conscientiâ animoq; deliberato commissa violatio statum divinæ gratiæ&amicitiæ evertat vel abrumpat. Vt autem ita post lapsum perfectè & exactè observetur lex, quemadmodum ante lapsum observari poterat, quandoquidē non placet Deo vel eamdem obtinendę salutis rationem vel pristinas vires restaurare; id fieri non potest. Etiamsi verò desideria carnis legi adversentur & proinde peccata sint; si tamen reprimuntur, si resistitur & consensus non accedit, è statu gratiæ & amicitiæ divinæ non proturbant. *Nulla igitur nunc est condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum*, Rom. IIX, *1*. Notandum, quòd non dicat in iis nihil esse damnabile, sive quod damnationem inducere possit, si juxta rigorem legis & pactum legale procedatur; sed nihil esse condemnationis, sive quod actu condemnationem inducat. Id agnoscere tenentur fideles, & propterea à Servatore jussi sunt quotidie orare: *Dimitte nobis debita nostra*. Si nulla essent debita, non jussisset ad eum modum orare. *Quis enim ferat orantem, & non hominibus sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur se debita non habere?* Ita concilii Milevitani sive Africani plenarii capitulum octavum; cui addi quoque potest septimum.

LIV. Superfluum tamen videtur operosè & curiosè inquirere, qualia & quanta sint illa peccata, quæ deliberato consensu non approbantur & opere non complentur; quandoquidem fidelem è statu suo non magis dejiciunt, quàm si talia & tanta non essent. Verba sunt psalmi CIII, *13*: *Sicut pater miseretur filiorum, miseretur Dominus timentium ipsum*. At pater liberis condonat, quæ

ex pue-

ex puerili ignorantiâ vel infirmitate committunt; non item, quæ meliorum gnari per refractariam contumaciam. Vir bonus non colit amicitiam nec fœdus init cum eo, quem videt palàm improbum esse, vel ex professo nequitiæ deditum. Si talem compererit, amicitia & fœdus, quamvis contracta fuerint, dissolvuntur. Multo minùs itaque Deus erit & perseverabit esse amicus & fœderatus ejus, qui probus esse nolit, opera carnis perpetret, & divina præcepta susque deque habeat. Id enim justitiæ & voluntati divinæ, quæ non potest non esse recta & sancta, adversatur. Præterea vera & justificans fides non potest concipi, oriri & perseverare in animo hominis, nisi per gratiam intrinsecus operantis & inhabitantis Spiritus sancti. *Sed si spiritus ejus, qui suscitavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis; is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra*, ut vivant spiritualiter nec sint in peccatis mortua, *per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis*, Rom. IIX, *11*. *Spiritum ne exstinguite*; est I Thessal. V, *19*. Nempe per opera carnis spirituales inclinationes & motus & operationes exstinguuntur, & Spiritus, à cujus inhabitantis sive intus agentis gratiâ pendent, ejicitur. Neque enim Spiritus, ut antè fuit dictum, absolutâ suâ potentiâ hic utitur, sed patitur sibi resisti, patitur se ejici. *Cupiditates carnis militant adversus animam*, sive eò tendunt & tandem, si indulgeatur, erumpunt, ut animam è prosperitatis & salutis statu deturbent, I Petri II, *11*.

LV. *Ne regnato igitur*, ait sanctus Paulus, *peccatum in mortali vestro corpore* (non dicit, *Ne esto*, sed *Ne regnato*: paullò pòst enim agnoscit *habitare in se peccatum*) *ut auscultetis ei in cupiditatibus corporis: neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato*, ut vestris membris perpetretis injusti- Rom. 7, 17, 20.

justititiam, quò inclinat & invitat inhabitans peccatum: *sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos*, tamquam tales, qui quum olim essetis mortui in peccatis, nunc Spiritu excitati novam vitam vivatis, *& membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim estis sub Lege* sive pacto legali, sub quo quicumque hodie fuerit, ei peccatum dominatur & damnatio incumbit, *sed sub Gratia* sive gratuito pacto Evangelico, Rom. VI, *12, 13, 14*. In eam sententiam Gal. V, *16* & seqq. *Spiritu ambulate, & desideria carnis ne perficite; nec quæcumque volueritis, faciatis. Quod si Spiritu ducimini*, si non instinctum carnalium desideriorum, sed motum ductumque Spiritus sequimini, *non estis sub lege*, sive sub pacto legali, juxta cujus rigorem, quicumque sub eo sunt, damnationi succumbunt. *Porro manifesta sunt opera carnis*, quorum septemdecim enumerat, deque his & horum similibus pronunciat, *eos, qui talia agunt, regni Dei non fore heredes:* quod ipsum *liquidissimam veritatem* alicubi vocat Augustinus. Subjicit *fructus Spiritus*, & addit, *Adversus ejusmodi non est Lex*, nec iis damnationem intentat aut irrogat. Est autem adversus alios, qui ejusmodi non sunt, qui secundum Spiritum non ambulant, & desideria carnis perficiunt: adversus eos viget lex & pactum legale, sive juxta legis legalisque pacti rigorem cum eis agitur. Observandum enim sub alterutro pacto quemvis constitui mortalium; & sub legali quidem à primâ usque suâ origine & ortu, donec in evangelicum recipiatur, & conditiones, quas id recipiendis & receptis ponit, amplectatur. Quòd si evangelicum deserat vel ab eo deficiat, relabitur sub legale & in statum damnationis. Et ex hactenus expositis naturam differentiamque pactorum Legalis, per quod damnationi homines subjiciuntur, & Evangelici, per quod ab eâ e-

De fide & oper. c. 18.

eâ eripiuntur & in statum salutis adseruntur, animadverti & intelligi posse speramus.

LVI. Evangelium, quod primitus promulgatum, quibus verbis à Mose sit propositum, pridem ostendimus. Nempe *Semen mulieris conteret sive conculcabit caput serpentis*. Fide huic promisso habitâ, & in semen mulieris contriturum caput serpentis, sive in Redemtorem venturum, & divinâ benignitate homines è potestate satanæ erepturum conjectâ servati fuerunt, quotquot deinceps servati sunt. Hoc enim ipsum semen mulieris basis est & fundamentum pacti evangelici, cui id totum innititur; & absque quo iniri sine dubio non potuisset. Quamdiu nondum aderat, sed venturum exspectabatur, appellatur Vetus pactum: ex quo autem exhibitum fuit, Novum.

LVII. Hoc ipsum semen, sive is, qui venturus promittebatur, futurus erat *Propheta, sicut Moses*, Deut. XIIX, *18*; Act. III, *22*, & VII, *37*: nempe ut quemadmodum Moses inter Deum & populum, qui præsentiam Dei non ferret, suo interventu & operâ pactum sanciebat; sic quoque ille suo adventu & præsens, quæcumque ad placandum Deum & fœdus evangelicum perficiendum requirerentur, adimpleret, *præstantioris* tamen *pacti* ἔγγυος & μεσίτης, *sponsor & mediator*, Hebr. VII, *22*; IIX, *6*. Futurus erat Rex, cujus tamen *regnum non esset ex hoc mundo*, Ioh. XIIX, *36*, sive ad rationes & conditiones mundanorum regnorum comparatum. Futurus erat sacerdos, & quidem *in æternum* perseveraturus, absque ullâ abrogatione vel successione, *secundum ordinem Melchisedeci*, Psal. CX, *4*, & non juxta ordinem Leviticum, ex quo *plures facti sunt sacerdotes, quòd mors prohiberet eos permanere: at iste propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet sacerdoti-*

 um.

um. Cui non est quotidie necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Hoc enim fecit semel, quum semetipsum obtulit, Hebr. VII, *23, 24, 27*. Quoniam autem Prophetæ, Reges & Sacerdotes ungebantur, hinc huic venturo nomen Vncti collatum est. *Vngetur sanctus sanctorum: usque ad* מָשִׁיחַ *unctum sive Christum ducem: occidetur Masiach, unctus sive Christus*, Dan. IX, *24, 25, 26*. Chaldæi, ut & Syri, pronunciant מְשִׁיחָא unde Messias. Andreas fratri suo Simoni: *Invenimus Messiam, quod est, si interpreteris, Christus*, Ioh. I, *42*. Mulier Samaritana: *Scio quòd veniet Messias, qui dicitur Christus*, Ioh. IV, *25*. Observandum autem, ubi Scriptura veteris pacti de venturo Redemtore, quamvis aliquando obscuriùs, loquitur, ibi Chaldæos interpretes nomen Messiæ exprimere. Sic quod est Gen. XLIX, *10*, *Donec veniat Siloh*; omnes tres Onkelos, Ionathan & Ierosolymitanus prolato nomine Messiæ exponunt. Quod est Num. XXIV, *17*, *Orietur stella ex Iacob, & surget sceptrum ex Israële*, reddidit Onkelos, *Consurget Rex de Iacob, & ungetur Messias de Israël; & occidet principes Moab*, id est, idololatriam (Moabitæ enim insignes erant idololatræ) abolebit. Quod est Ies. LIII, *13*, *Ecce intelliget servus meus*; exposuit Ionathan, *servus meus Messias*. Is ipse quod est Ieremiæ XXIII, *5*, *Excitabo Davidi germen justum*, reddit *Excitabo Messiam*; & quod est Micheæ V, *2*, *Ex te* Betlehem *prodibit dux*; exponit, *Ex te coram me prodibit Messias*. Fidelibus etiam quibusvis & Christianis tribuitur unctio. *Qui unxit nos, Deus est*, ait sanctus Paulus, II Cor. I, *21*. Sanctus Iohannes I Ep. II, *20*: *Vos unctionem habetis à Sancto illo* profectam *& nostis omnia*, nempe ad salutem vobis necessaria. Christianos igitur unctos esse idem est quod divinitus instructos esse omnibus ad finem supernatu-

ralem

ralem, cui destinantur, consequendum necessariis auxiliis, donis & gratiis. Servator autem Dominus Iesus unctus est *ultra consortes suos*, Ps. XLV, 8; Hebr. I, 9. Huic enim *Deus non dat Spiritum ad mensuram*, Ioh. III, 34. Quanto videlicet sublimior est finis Servatori propositus, nempe redemtio & salus totius generis humani, tanto quoque uberior & excellentior collata est unctio.

LIIX. Quoniam autem tempore Novi pacti exhibitus fuit & in carne præsentem se stitit & obtulit Messias, propterea peculiariter dicitur *mediator novi pacti*; etiamsi ejus *mors intercedat ad redemtionem illarum transgressionum, quæ fuerant sub priore pacto*, Hebr. IX, 15; sive etiamsi nemo sub priore vetere pacto servatus fuerit, nisi per meritum & mortem Messiæ. Hæc ipsa realis exhibitio & præsentia id quoque præstat, ut de Messia, qui hactenus figuris & typis adumbrabatur, & vaticiniis sive oraculis propheticis prænunciabatur, omnia sint sub Novo pacto clariora & notiora & captui singulorum magis obvia & exposita, quàm fuerant sub Vetere; cui alias proprium figuris & typis uti, & necessarium futura, quæ per suam ipsorum conditionem minùs manifesta quàm præsentia, prædicere; imò cui res erat cum populo duræ cervicis, incircumciso corde & auribus, atque adeo ad credenda, quæ captum suum superarent, præsertim si multiplicarentur, minimè apto.

LIX. Celebre est dictum Irenæi lib. IV, c. XLIII: *Omnis prophetia priusquam habeat effectum, ænigmata & ambiguitates sunt hominibus. Quum autem venerit tempus, & evenerit quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam & certam expositionem.* Produxerat priùs rei confirmandæ verba Danielis XII, 4; in hunc modum loquutus: *Absconsus in Scripturis thesaurus est Christus, quoniam per typos &*

parabolas significabatur.—Consummatio est adventus Christi. Et propter hoc Danieli prophetæ dicebatur; Muni sermones & signa librum usque ad tempus consummationis, quoadusque discant multi, & adimpleatur cognitio. Vetus interpres ita vertit: *Tu Daniel claude* (Munsterus reddit, *tene in secreto*) *sermones, & signa librum usque ad tempus statutum* sive determinatum rebus futuris: *plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia,* id est, multi percurrent & considerabunt sermones istos tuos propheticos, cum eventibus conferent, & quia respondere deprehendent, verum eorum sensum adsequentur, suamque cognitionem plurimùm perficient. Sic paullò inferiùs vers. 9: *Clausi sunt & obsignati hi sermones usque ad præfinitum tempus.* Cap. IIX, 26 itidem occurrit phrasis de signandâ visione: *Signa* vel obsigna *visionem, quia post multos dies erit.* E contrario Apocal XXII, 10: *Ne obsignes verba prophetiæ libri hujus: tempus enim prope est.* Obsignari itaque prophetiam vel visionem idem fuerit, quod eventum, qui per illas significatur, differri, nec adhuc propinquum esse. Quoniam autem res ejusmodi futuræ prophetico & sublimi dicendi genere describuntur, & per typos ac figuras proponuntur, hinc oritur obscuritas & difficultas intelligendi: quæ proinde etiam libro clauso vel obsignato indicatur. Et quoniam multa de venturo Messia in Scripturis Veteris testamenti ad eum modum se habent, propterea Irenæus, *absconsum in Scripturis thesaurum esse Christum, & consummationem esse adventum Christi* rectè pronunciat, ut paullò antè audivimus. Theodoretus in commentario ad locum Danielis, quem protulit Irenæus: ταύτας ἡ τοῦ θείου πνεύματος χάρις μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφάνειαν ἀφελοῦσα τὰς σφραγῖδας, σαφῆ τὰ ἀσαφῆ πεποίηκε τοῖς πιστεύουσι. *Divini spiritus gratia, ablatis post adventum Servatoris nostri istis*

sigil-

sigillis sive obsignationibus, obscura credentibus perspicua fecit.

LX. Accesserunt quidem de venturo Messia pristinis novæ & distinctiorem ejus notitiam suppeditantes revelationes, Scripturâ veteris pacti consignatæ, ut quòd nasciturus ex posteritate Abrahami, Isaaci & Iacobi; ex tribu Iudâ; ex domo & familiâ Davidis; ex virgine; quòd ut ovis ad mactationem ducendus expositurus sit animam suam sive vitam suam in sacrificium pro delicto. Locus nativitatis determinatur Betlehem Micheæ v, *2*: tempus adventus Hagg. II, *9*; inprimis verò Dan. IX, ubi de septuaginta septimanis, quæ singulæ septem annos continent, agitur. Cæterùm ista omnia si comparentur cum luce Novi pacti, quando in rem præsentem, ut sic dicam, ventum fuit, & cuncta, quæ huc facerent, exhibita, præstita, adimpleta & cônsummata sunt, umbra quædam futurorum videri possunt. Hinc sanctus Paulus Evangelium suum vocat *mysterium à temporibus æternis* sive omnibus præteritis *tacitum, nunc verò patefactum*, Rom. XVI, *25*: non quòd penitus tacitum fuerit, sed quòd accessu tantæ lucis videri queat noviter patefactum. *Loquimur*, inquit, *sapientiam Dei latentem in mysterio & absconditam, quam præfinivit Deus in gloriam nostram*, I Cor. II, *7*: *mysterium absconditum à seculis in Deo*, Eph. III, *9*; Col. I, *26*. *Gratia data nobis ante tempora seculorum nunc facta est manifesta per illustrem adventum servatoris nostri Iesu Christi*, II Tim. I, *9*. Omnibus & consummatis, & factis manifestis, non est quòd articulos fidei doctrinamque de Christo saluti nostræ necessariam secundum se, sive, ut ita dicam, substantiam suam augmentum porrò capere posse existimemus. Ejus summam, quod credenda cuivis ad salutem necessaria attinet, complectitur Symbolum A-

postolicum, ita dictum, quòd quæ Apostoli non tamquam futura more Mosaico & prophetico adumbrarunt, sed tamquam præstita & exhibita, & præterea quidquid fide, ut ab agendo distinguitur, amplecti Christianos oportet, clarè & perspicuè omnes docuerunt, brevi compendio & connexu proponat. Hinc Symbolum dicitur Apostolicum, non Mosaicum aut Propheticum.

LXI. Cum hominibus ita agit Deus, ut eorum captui se accommodet sive condescendat. Verbis ad eos utitur, quia verba sunt ordinarium medium, quo in notitiam rerum deducantur. Addit etiam utpote cui negotium cum iis, qui sensibus sint præditi, nonnulla signa in sensus incurrentia, ut hi quoque ociosi non sint, & non solus intellectus, sed ipsi quoque habeant, circa quod occupentur. Voluit igitur in argumentum subjectionis & typum futurorum nonnullas res corporeas certo & sensibili ritu sibi offerri. Hinc ex peculiari mandato divino (nam tale quid faciendum esse ex lumine naturæ deduci non potest) *obtulit Cain de fructu terræ munus Domino: & Abel quoque obtulit de primogenitis* sive optimis & pinguissimis *gregis sui, & de adipe eorum*, Gen. IV, 3 & 4. Mactavit igitur animalia vel oves ad cultum Deo præstandum; quod propriè est זָבַח sive sacrificium, typus sine dubio & indicium sacrificii, quod oblaturus erat Messias.

LXII. Observandum id quoque est, quamvis primo evangelico pacto accesserint alia pacta, sive de aliis rebus, sive tamquam appendices & determinationes & illustrationes: primum tamen illud tamquam fundamentum semper præsupponi, & in vigore suo permansisse; ut etiamsi per alia res aliæ sive promissiones, prosperi-

speritates & eminentiæ obtinerentur, per hoc tamen unicum remissio peccatorum & æterna salus haberetur. Circa tempus nati Enosi *tunc cœptum est vocari vel appellari in nomine Domini*, Gen. IV, *26*. Tunc cœpit illa distinctio appellationum, ut pii & qui Deum timerent, dicerentur Filii Dei; impii verò & qui Deum contemnerent, vocarentur Filii hominum. *Evénit autem quum cœpissent homines multiplicari, ut videntes filii Dei filias hominum bonâ formâ esse, acciperent sibi à quibusvis uxores*, Gen. VI, *1*. Hinc factum, *ut omnis caro corruperit viam suam super terram*; & *pœniteret Dominum quòd fecisset hominem in terrâ*. Erat tamen *Noah vir justus & integer in generationibus suis*, sive inter eos qui istis temporibus generati in terrâ degebant, *& cum Domino ambulabat*. Huic itaque Dominus, quum reliquos universali diluvio perditurus esset, *Statuam*, inquit, *pactum meum tecum, ut ingrediaris in arcam tu & filii tui, & uxor tua, uxoresq; filiorum tuorum*, nempe ut cæteris omnibus intereuntibus vos incolumes servemini, Gen. VI, *18*. Finito diluvio promissionem de pari cataclysmo numquam reducendo itidem pactum seu fœdus appellat Gen. IX, *9, 11, 15, 16*: arcum autem cœlestem seu irim, quam aliàs ex caussis naturalibus oriri necesse erat, huic fini deputat, ut sit *signum illius fœderis*, Gen. IX, *12, 13, 17*.

LXIII. Cum Abrahamo aliquoties & solenniter fœdus inivit. Evangelium illud primarium restrinxit ad ipsum Abrahamum, ita videlicet, ut promittat in semine Abrahami benedicendas esse omnes gentes & familias terræ, sive ex semine Abrahami proditurum Messiam, Gen. XII, *3*: XIIX, *18*; XXII, *18*. Idem repetitur & confirmatur Isahaco, Gen. XXVI, *4*: & Iacobo, Gen. XXIIX, *14*. Adjunxit primario isti pacto sive promisso aliud secundarium velut appendicem, de terrâ Cananæâ posteris

Abra-

Abrahami immenſo numero multiplicandis in poſſeſſionem & hereditatem tribuendâ, Gen. XII, *7*; XIII, *15*; XV, *5*, *7*, *18*; XVII, *8*; XXII, *17*. *Dabo*, inquit, *tibi & ſemini tuo.* Sed hæc etiam promiſſio venturum Meſſiam præſupponebat & reſpiciebat. Vnde ſanctus Paulus Gal. III, *16*: *Abrahamo dictæ ſunt promiſsiones & ſemini ejus. Non dicit, ET SEMINIBVS, ut de multis; ſed ut de uno, ET SEMINI TVO; qui eſt Chriſtus.* Vox ſeminis etiamſi pro numero & multitudine poſterorum accipi ſæpe ſoleat, hîc tamen præcipuus reſpectus ad iſtum unum (de uno etiam capitur, quum dicitur, *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem interfecit Cain*, Gen IV, *25*) propter quem omnia, & in quem omnia reſpiciunt, nempe Chriſtum. Ei datur terra Canaan: quia propter eum, ſive ut in illâ certo & conſtituto tempore is naſceretur, data fuit Abrahami poſteris Iſraëlitis poſſidenda. Præterea datur quoque Chriſto, quatenus eſt typus regni cœleſtis, quia videlicet hoc non datur ulli, niſi propter Chriſtum, iiſque ſolis, qui ſunt Chriſti & ſub capite Chriſto unum corpus conſtituunt. Sic itaq; priſca & priſtina de ſemine mulieris caput ſerpentis contrituro ſive de venturo Meſſia Evangelica promiſſio præſupponitur, & Abrahamo confirmatur, dum ei promittitur, quòd ex ſuâ ipſius, Abrahami inquã, progenie & ſtirpe proditurus ſit Meſſias, & quòd Abrahami poſteris mirum in modum multiplicandis tradenda ſit poſſeſſio terræ Canaan, ut in eâ definito tempore naſcatur, prædicet & opus redemtionis peragat idem Meſſias. Hoc ipſum pactum non meris verbis proponitur, ſed additis etiam ritibus & ceremoniis, ſigno circumciſionis, & tandem juramento.

LXIV. Mos fuit priſcorum è ſupremâ antiquitate derivatus, ut fœdera inituri pecudes mactarent, in partes

res secarent, sibi similia si fallerent imprecati. Hinc apud Græcos ὅρκια τέμνειν: apud Latinos *fœdera icere, ferire, percutere.* Sic Agamemnon apud Homerum fœdus cum Trojanis initurus ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ, *jugulos agnorum abscidit crudeli ferro.* Apud Virgilium Romulus & Tatius — — *inter seposito certamine reges* Iliad γ. Aeneid. 8.

Armati, Jovis ante aras, paterasq; tenentes
Stabant, & cæsâ jungebant fœdera porcâ.

Apud Livium Pater patratus Romanorum fœdus initurus cum Albanis, *si populus*, inquit, *Romanus prior deficit publico consilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam; tantoq; magis ferito, quanto magis potes pollesq;. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit.* Vetustissimus itaque mos cæsis animantibus fœdus sancire. Lib. 1.

LXV. Deus cum Abrahamo, tunc Abramo adhuc, fœdus pangens huc usque se demisit, & in gratiam hominis condescendit, ut hujusmodi ritum aliquo modo adhiberet. Dixit ei: *Intuere cœlum, & numera stellas, si potes numerare eas: sic erit semen tuum,* sic multiplicabitur, ut suo tempore ex eo prodeat semen mulieris sive virginis, in quo benedicentur omnes gentes terræ. *Et credidit Abram Domino*, sive toti isti divinæ promissioni, tum quoad ea, quæ disertè proferebat, tum quæ supponebat & includebat; *& imputatum est ei ad justitiam.* Dixit autem Abram, non ex diffidentiâ vel dubitatione, sed ex maximâ fiduciâ benevolentiæ, quâ se à Deo affici intelligeret, *Domine Deus, unde cognoscam, quòd possidebo terram* Canaan? Tunc Deus edixit ei, *Sumens offer mihi vitulam triennem, & capram triennem, & arietem triennem, turturemq; cum pullo columbarum. Abram itaque sumta offerens ei omnia hæc, quam dissecuisset illa per medium, posuit dimidiam cujus-*

que partem è regione suæ alterius: aves verò non dissecuit. Ingruente vesperâ altus sopor occupavit Abramûm, & dormienti revelatum est, quid suis posteris immineret. *Fuit autem condito jam sole, quum cæca nox esset; & ecce fumantem furnum*, fumum densum & quasi ex furno ebullientem, *& lampadem igneam transeuntem inter segmenta illa.* Quod fuit symbolum & indicium peculiaris præsentiæ divinæ, & confirmationis promissorum antè factorum. *Hoc die pepigit Dominus cum Abramo fœdus dicendo; Semini tuo dedi terram hanc à flumine Aegypti usq. ad flumen illud magnum, flumen Euphratis*, sive à vicinia Nili usque ad viciniam Euphratis. Hæc omnia Gen. xv. Ritus ineundi pacta cum Deo, sive contestandi, se divinis mandatis obtemperaturos, ni fecerint, capita sua se devovere, idque ipsum declarandi facto per dissectas pecudum partes transitu; hic, inquam, ritus diu apud Israëlitas perseveravit, sicut intelligitur ex Ieremia propheta, apud quem Dominus: *Tradam in manum hostium suorum homines istos, qui transgressi sunt fœdus meum, qui non præstiterunt verba fœderis quod pepigerunt coram me, quum transirent inter dimidiatas partes vituli, quem dissecuerant in duo*, Ierem. xxxiv, 18.

LXVI. Priora ista memorantur à Mose Gen. xv, ut diximus. Sequitur cap. xvii διαθήκη περιτομῆς, *pactum circumcisionis*, sicut Stephanus appellat Act. vii, 8. Vbi etiam mutantur nomina, & ex Abram sive *patre excelso* fit Abraham, id est, *pater multitudinis*; & ex Sarai sive *domina mea* absolutè Sara, hoc est, *domina*, in eminentioris dignitatis indicium. Dixit autem Dominus Abrahamo: *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere perpetuo, ut sim tibi in Deum & semini tuo post te.* Nempe priora pacta & promissa supponuntur, hisque additis magis magisque confirmantur.

Daboq.

Daboq; tibi & semini tuo post te terram peregrinationum tuarum, totam terram Canaan in possessionem perpetuam; eroq; Deus eorum. Tu autem pactum meum custodies, tu & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos & inter semen tuum post te, ut circumcidatur in vobis omnis masculus. Et circumcidetis carnem præputii vestri (quoniam de propagatione per generationem agitur, in organo generationi à naturâ destinato signum fœderis poni videtur) *eritq; signum pacti inter me & vos.* Circumcisio itaque signum est pacti; & quando ipsa pactum appellatur, per Metonomiam id fit. *Omnis masculus octo dies natus*, ut tolerandæ circumcisioni par sit, *circumcidetur vobis per generationes vestras; natus domi & emtus argento à quocumq; alienigena, qui non est de semine tuo.* Quicumque itaque non esset circumcisus, non potuit esse domesticus sive pars familiæ Abrahami vel Abrahamitarum. *Incircumcisus masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui, utiq; exscindetur homo ille de populis suis, quia pactum meum irritum fecit*, (eadem phrasis Ierem. XXXI, 32; Iezech. XLIV, 7) sive conditionem sibi positam non observavit & adimplevit. Quidquid enim à Deo mandatur, observandum est ei, qui nolit pœnas incurrere, & divinâ gratiâ excidere.

LXIIX. Sicut autem apud Mosen Circumcisio ab ipso Deo dicitur signum pacti inter Deum & homines; sic etiam sanctus Paulus affirmat Abrahamum, quum ei præputiato imputata fuisset fides ad justitiam, deinde *accepisse signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei*, sive *quæ* per fidem *recepta in præputio, ut esset pater omnium credentium, tum præputiatorum, tum circumcisorum*, Rom. IV, *11 & 12.* Namquòd Abrahamo etiamnum præputiato imputata fides ad justitiam; inde deducit Apostolus, quòd circum-

cisio non sit caussa justitiæ, sive quòd justitia non sit effectus circumcisionis, atque adeo non obtingat per circumcisionem sed per fidem. Interim circumcisio divino mandato addita fuit sigillum justitiæ per fidem in præputio receptæ: quia enim ab ipso Deo addebatur & peculiariter instituebatur, ideo non potuit non esse certum signum & quasi sigillum, quòd justitia ista, cui jungeretur, proba sit & firma, Deoque grata & accepta. Itidem quoniam Circumcisio à Deo instituta & præcepta fuit, ideo non potuit salvâ obœdientiâ, quæ Deo divinisque mandatis, etiam positivis, debetur, ab iis, quibus injuncta erat, negligi vel omitti, donec patefieret Deo placere, ut abrumperetur & cessaret: quod demum republ. Israëliticâ penitus & sine spe restitutionis eversâ patefactum est. Per hanc enim πανολεθρίαν ceremonialia omnia & sacrificia, quæ hactenus in usu fuerant, abolita sunt. *Abolebit sacrificium & minham*, Dan. IX, *27*.

LXIX. Circumcisio in domum & familiam Abrahami invecta latè propagata fuit. Quamvis enim de Isaaco peculiariter dixerit Dominus, *Fœdus meum constituam cum Isaaco*, Gen. XVII *21*; nempe fœdus, quod concernebat possessionem terræ Canaan posteris ejus conferendam, & inprimis Christum ex ejus semine oriturum: item eodem sensu, *In Isaaco vocabitur tibi semen*, Gen. XXI, *12*; semen videlicet illud, quod peculiariter obtinuit titulum populi ab Abrahamo oriundi, & hereditatem terræ Canaan; inprimis verò quia ex eodem semine proditurus Christus, itidem singulariter dicendus *filius Abrahami*, Matth. I, *1*: nihilominus circumcisus etiam, & quidem unà cum Abrahamo, fuit Ismaël, tredecim tunc annos natus, Gen. XVII, *25*; atque ita derivata circumcisio ad posteros Ismaëlis, qui generavit duodecim principes

sive

five familiarum auctores & duces, Gen. xvii, *20*; xxv, *13*, *24*, *15*; 1 Chron. 1, *29*, *30*, *31*: atque adeo latè propagavit genus suum. Habitavit autem *in deserto Pharan, & accepit ei mater sua uxorem è terrâ AEgypti*, Gen. xxi, *21*. Iosephus à fratribus venditus fuit Ismaëlitis in AEgyptum descendentibus, Gen. xxxvii, *17*; xxxix, *1*: qui etiam Midianitæ vocantur Gen. xxxvii, *28*; ut amplius intelligi potest ex Iud. iix, *24*. Appellatur tamen unus quoque è filiis Ceturæ Abrahamo natis *Midian*, quem unà cum quinque fratribus ex Ceturâ post Saræ obitum ductâ Abraham genuit, Gen. xxv, 1; 1 Chron. 1, *32*. Quin etiam Esavi ex Isaaco geniti satis luculenta posteritas, sicut videre est Gen. xxxvi. Is dictus Edom sive rufus, ab edulio illo rufo, quo accepto suum ptimogeniti jus Iacobo fratri vendidit, Gen. xxv, *30*. Hinc Edomitæ, Edomæi vel Idumæi, populus satis potens & numerosus. Quoniam igitur ex Abrahamo prodiit non solus Isaac, sed etiam Ismael & sex filii è Ceturà nati; & ex Isaaco non solus Iacob, sed etiam Esau vel Edom; atq; isti omnes in familiâ paternâ circumcisi: inde omnino videtur factum, ut ad complures gentes circumcisio derivaretur. Lubet ex antiquissimi Herodoti Euterpe seu historiæ libro secundo adscribere, quæ de gentibus circumcidi solitis ille commemorat. *Soli*, inquit, *omnium hominum Colchi & AEgy-* Num, 104.
ptii & AEthiopes ab initio statim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices & Syrii qui sunt in Palæstinâ (ii fuerint Iudæi) *didicisse id ab AEgyptiis & ipsi confitentur.* Fallitur Herodotus; & fefellerunt, qui id ei persuaserunt. *Syrii verò qui fluvium Thermodontem & Parthenium accolunt, & horum contermini Macrones, à Colchis se nuper didicisse ajunt. Hi enim ex hominibus soli sunt, qui circumciduntur: & in hoc faciendo agnoscuntur AEgyptii esse. AEgyptii verò atque AEthiopes non*

queo dicere utri ab utris didicerint. Nam videtur esse perantiquum: Ita de circumcisione melioribus documentis destitutus Herodotus.

LXX. Epiphanius sub initum Panarii sui posteros Abrahami è sex Ceturæ filiis descendentes per Arabiam felicem dispersos fuisse existimat. Quod verum esse autumo; atque inde rationem patere, per quam ad Arabes pervenerit Circumcisio. Apud quos etiam hodie perseverat, ab impostore Muhammede, qui apud Arabiæ populos prima suæ impietatis & imperii fundamenta jecit, recepta & approbata; quamvis ab ejus adseclis non saltem in octavum diem, sed in octavum usque annum hodie differatur. De suis temporibus Epiphanius hæresi XXX, num. XXX: *Et idolorum cultores & sacerdotes AEgyptii seipsos circumcidunt Quod & Saraceni, & Ismaëlitæ, & Samaritani, Iudæi, Idumæi & Homaritæ faciunt. Quorum id plerique non aliquâ lege, sed consuetudine quâdem citra rationem suscipiunt.* Ambrosius epistolâ LXXVII: *AEgyptii impium judicant sacerdotem, qui nequaquam habeat circumcisionis insigne. . Nam neque magici carminis sapientiam, nec astronomiam judicant vim suam obtinere sine circumcisionis signaculo. Et ideo ut impetrandi vim operationi adhibeant, purgationem quamdam vatum suorum circumcisionis arcano celebrandam existimant.* Idem libro II de Abrahamo, cap. XI: *AEgyptii quartodecimo anno circumcidunt mares.* Hieronymus in Ieremiæ IX, 25: *Multarum ex quadam parte gentium, & maximè quæ Iudææ Palæstinæq; confines sunt, usque hodie populi circumciduntur, & præcipuè AEgyptii; & Idumæi, Ammonitæ & Moabitæ; & omnis regio Saracenorum, quæ habitat in solitudine.* Quod autem idem sub initium libri octavi in Iezechielem scribit, *Agareni nunc Saraceni appellantur, adsumentes sibi falsò nomen Saræ, quò scilicet de ingenuâ & domina videantur*

tur esse generati; nescio an vero sit consonum. In eamdem sententiam Sozomenus libro VI, cap. XXXIIX: *Veteres à progenitore Ismaëlitas appellabant. Verùm ut spurii generis maculam & ignobilitatem Agar matris Ismaëlis, quæ serva fuit, penitus obliterarent, se Saracenos, velut à Sarâ conjuge Abrahami prognatos nominarunt.* Nescio, inquam, an quod Hieronymus & Sozomenus pronunciant, vero sit consonum. Arabes nonnulli potiùs videntur dicti Saraceni, quòd raptores & prædones essent, à סרק *sarac*, quod Arabibus *rapuit, prædatus est*. Plinius Nabathæis finitimos constituit lib. VI cap. XXIIX; Ptolemæus Scenitis lib. VI, cap. VII. Translatum postea vocabulum ad plures ejudem originis ex rapto vivere solitos. Ismaëlitas Hieronymi tempore Saracenos dictos esse ipse aliquoties testatur, ut in Ierem. II, *10*, & XXV, *23*. Edomæis, Ismaëlitis & Moabitis junguntur *Agareni* Psalmo XXCIII, *7*: quos à Rubenitis tempore Saulis oppugnatos & cæsos esse memoratur I Chron. V, *10*. An ab Agar illi descenderint, certò affirmari non potest. Si descenderunt, prodierunt alio generis auctore, cui videlicet Agar post discessum ab Abrahamo nupserit: aliàs enim non distinguerentur ab Ismaëlitis. Sed de altero Agaræ connubio, quod nec legitimum esse potuisset, nihil planè constat. Libro LXIIX Dionis Cassii in excerptis à Xiphilino legimus de *Agarenis* gente Arabicâ, *quorum civitas*, inquit, *nec magna est nec dives*, sine dubio Agara dicta; *& finitima regio magnâ ex parte est deserta, quòd in eâ aquæ rarò inveniantur, atque illæ parum salubres, quòdque in eâ ligni pabuliq́; magna sit penuria, ex quo fit, ut ibi magna hominum multitudo diu esse non possit, tum verò ardentissimis caloribus, quibus exposita est defenditur. Itaque eam neque Trajanus neque postea Severus cepit, quum tamen partem aliquam muri diruerint.* Num ad Agaram Abrahami A-

mi Agarena hæc gens & urbs referri possint, dispiciendum relinquo.

LXXI. Vt id etiam obiter annotemus, sicut circumcisio apud nonnullas versus austrum & orientem gentes in precio fuit, ita apud Romanos exosam fuisse & ludibrio: unde Iudæos eosque qui circumcisi essent, per contemtum *verpos* & *recutitos* appellarunt. Quin prohibitum aliquando alias gentes circumcidi, & solis tantùm Iudæis id permissum. De Samaritanis locus est
Num. 9. apud Origenem libro secundo contra Celsum: *Dicet aliquis, etiam Samaritanos persequutionem pati propter suam religionem. Ei respondebimus, Sicarios* (sicariis itaque pares habebantur, qui circumciderent) *propter circumcisionem occidi, quòd seipsos mutilent contra præscripta legum, quæ solis Iudæis id permittunt: nec umquam auditum, quòd judex sicario suæ religionis reo fecerit optionem, malitne mutatâ religione absolvi,* (quomodo scilicet cum Christianis agi consuevit) *an occidi perstans in eâ: sed satis est ad ejus supplicium ostensa circumcisio.* Si Spartiano credimus, *moverunt* sub Hadriano Cæsare *Iudæi bellum, quòd vetabantur mutilare genitalia:* quod bellum eum exitum habuit, ut unà cum Barchocabo innumeri Iudæi occumberent, & Ierosolyma in AEliam commutaretur. Rigorem tamen moderatus est Hadriani successor Antoninus Pius, de quo Modestinus Iurisconsultus, productus lege XI Dig. ad legem Corneliam de sicariis & veneficis: *Circumcidere Iudæis filios suos tantùm rescripto Divi Pii permittitur: in non ejusdem religionis qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur.* Ad eamdem legem Corneliam Iulius Paulus Sententiarum receptarum libro V, tit. XXIII: *Cives Romani, qui se Iudaico ritu vel servos suos circumcidi patiuntur, bonis ademtis in insulam perpetuò relegantur: medici capite puniuntur. Iudæi si alienæ nationis comparatos ser-*

tos ser-

eos servos circumciderint, aut deportantur aut capite puniuntur. Et hæc in occasione obiter de circumcisione annotasse sufficiat.

LXXII. Tandem subsequutum est juramentum, quum non saltem Abrahamus *contra spem sub spe credidisset,* Rom. 4, v. 18, 19, 21. quòd ex ipso proditurus numerosus & potens populus, imò proditurus, in quo benedicendæ omnes gentes orbis terrarum; *ac minimè infirmus fide non considerasset suum ipsius corpus jam emortuum, nec emortuum uterum Saræ, plenè persuasum habens Deum quod promiserat posse etiam efficere:* sed præterea jussus à Deo sacrificare ipsum illum filium, de quo promissum erat, *In Isaaco vocabitur tibi semen,* demonstrasset se promtum parére, *ratiocinatus Deum potentia præditum esse etiam suscitandi ex mortuis,* Hebr. 11, 19. atque adeo quocumque modo, quamquam hominibus ignoto, promissa sua adimplendi: quum ita, sicut jam diximus, se gessisset Abraham, *nec posset Deus per quemquam majorem jurare, juravit per seipsum,* Hebr. 6, 13. ac dixit, *Per meipsum juro, quandoquidem fecisti rem hanc, & non subtraxisti filium tuum, unicum tuum; me prolixè benedicturum tibi, & cumulatissimè mutiplicaturum semen tuum, sicut stellas cœli & sicut arenam quæ est in littore maris, possessurumq́ semen tuum portas inimicorum suorum, & benedictas fore in semine tuo omnes gentes terræ,* Gen. XXII, *16, 17, 18.* In Hæbræo est התברכו Benedicent & beabunt se, id est, benedictas & beatas se profitebuntur, sive in semine tuo vel per semen tuum benedictionem & beatitudinem sibi collatam, seque consequutas esse agnoscent & prædicabunt omnes gentes terræ.

LXXIII. Atque ita se habet pactum Abrahamicum, promissionem de Messia sive semine benedicto supponens & involvens, atque adeo, quoad potissima, Evangelicum: confirmatum tamen per τομία ὅρκια, per sigillum

 gillum

gillum circumcisionis & tandem per divinum juramentum, sicut ostensum fuit. Abrahamico post ccccxxx annos, ex quo peregrinari cœperat Abraham, accessit Mosaicum, promulgatum & sancitum postquam populus Israeliticus ex Ægypto & dura servitute gloriosè & miraculosè erat eductus: priore Abrahamico sive Evangelico nihilominus, uti fuerat, perseverante, suæque virtutis & vigoris compote: nam, ut docet sanctus Paulus, *pactionem antè confirmatam à Deo, respicientem in Christum, Lex quæ pòst annos quadringentos & triginta cœpit, non reddit irritam, ut aboleat promissionem*, Gal. III, 17.

LXXIV. Quum esset populus Israeliticus mirum in modum duræ cervicis, & ad idololatriam vehementer pronus, nec non ad amplectendos profanos cultus & ritus proclivis; ut ad obœdientiam per præmia in sensus incurrentia, quibus utpote carnalis præcipuè movebatur, invitaretur, ab idololatriâ & criminibus contra legem naturæ & moralem committendis per pœnas horribiles, itidem sensibiles, deterreretur, & constitueretur respublica, in quâ suo tempore nasceretur Messias; quin etiam ut haberet populus, quibus interea occuparetur, & occupatus ad profana sacra non delaberetur: propterea voluit Deus legem moralem, satis aliàs notam, è monte Sinai, magnâ & conspicuâ solennitate proponi, addiditque leges positivas tum politicas tum ceremoniales sive ad sacra facientes, promissum Messiam potissimùm respicientes & præfigurantes. Ita parario & mediatore Mose prioribus pactis, quæ interim, ut diximus, præsupponuntur, & sine immutatione vel revocatione perseverant, accessit pactum de prosperitate & eminentiâ externâ & temporariâ conferenda sub conditione obsequii morali legi, ne per improbitatem & contumaci-

am vi-

cim violetur, præstandi, & observationis cæterarum quoque positivarum legum; & contrà de pœnâ multiplici & atroce secus facientibus irrogandâ, ut vel ita ad debitam obœdientiam refractarius populus adigeretur.

LXXV. Hactenus patriarcha Iacobus magnis adversitatibus, (*pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ*, ait ipse) ejusque posteri in Aegypto calamitatibus & duræ servituti obnoxii fuerant, nec mundanam prosperitatem jactitare poterant. Hinc Moses Deut. V, 2: *Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. Non cum patribus nostris pepigit Dominus fœdus istud, sed nobiscum, qui sumus hîc hodie universi vivi.* Inter alia verò plurima inprimis notanda sunt, quæ habentur Deut. XXIIX: *Erit si fideliter auscultaveris voci Domini Dei tui cum observantiâ faciendo omnia præcepta ejus, quæ ego*, inquit Moses, *præcipio tibi hodie, ut disponat te Dominus Deus tuus sublimem supra omnes gentes terræ: & obvenientes tibi omnes benedictiones istæ adsequantur te, quum auscultabis voci Domini Dei tui. Benedictus eris in civitate & benedictus eris ruri* &c. *Statuetq; te Dominus in caput, non autem in caudam, ut sis tantummodo superior & non inferior, quum auscultabis præceptis Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, ut observes & facias. Sed erit si non auscultaveris voci Domini Dei tui, cum observantiâ faciendo omnia præcepta ejus & statuta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie; ut obvenientes tibi omnes maledictiones istæ adsequantur te. Maledictus eris in civitate & maledictus eris ruri* &c. Subjiciuntur maledictiones & intentantur pœnæ adeo horribiles, ut non possint non audienti & consideranti ingentem terrorem incutere. Sic videlicet ad obsequium inducendus erat populus durus & contumax. David itaque quum dicit, *Puer fui, etiam senui, sed non vidi justum derelictum, & semen ejus quærere panem*; juxta suam experien-

Gen. 49, 7.

Psal. 37, 25.

K 2 tiam

tiam & rationem temporis, quo vigebant promissiones pacti Mosaici (vide Deut. xv, *6*) loquitur.

LXXVI. Huc quoque faciebat, quòd in prævaricantes è vestigio severè admodum à Deo sæpe fuit animadversum. Sic quum *filii Aharonis Nadab & Abihu obtulissent coram Domino ignem alienum*, nempe cœlitus non demissum, nec sumtum ab altari, in quo is nutriebatur, *quod non præceperat eis; egressus ignis à facie Domini exanimavit eos, mortuiq; sunt coram Domino*, Levit. x, *1* & *2*. Quum populus aliquando querulus esset & murmuraret, *exardescebat in eos ignis Domini, & consumsit extrema castrorum*, sive eos qui erant in extremis castris, Num. xi, *1*. Quum impotenter carnes desiderarent, *ventus profectus à Domino abripuit coturnices à mari, & dissevit ad castra, quasi itinere unius diei hinc, & quasi itinere unius diei illinc circa castra; idq; ad duos cubitos in superficie terræ. Earum caro erat adhuc inter dentes illorum, nondum exesa erat, quum ira Domini accensa est in populum, & percussit Dominus populum plagâ magnâ valde*, Num. xi, *31* & seqq. Exploratores qui à Mose emissi ad explorandam terram promissam, quum *reversi ad murmurandum incitassent populum, inducendo famam malam de terrâ illâ, mortui sunt plagâ coram Domino*, Num. xiv, *36, 37*. Quum Corah, Dathan & Abiram seditionem movissent contra Mosen & Aharonem, *aperiens terra os suum absorpsit eos, & domos eorum. Ita descenderunt illi cum omnibus, quæ ipsorum erant, vivi in infernum* sive sepulcrum, *antè sepulti quàm mortui*, ut loquitur Optatus Milevitanus: *& operiente eos* (Lib. 1.) *terrâ perierunt è medio congregationis. Præterea ignis egressus à Domino absumsit ducentos quinquaginta viros, qui* seditiosis adstipulati sine mandato *offerebant suffitum. Quum postridie murmuraret totus cœtus Israëlitarum contra Mosen & Aharonem, dicendo, Vos morte affecistis populum Domini; exi-*

vit

vit fervens ira à facie Domini, & incepit plaga in populo, quâ perierunt quaterdecies mille septingenti. Hæc omnia prolixè Num. XVI. Quum iterum murmurarent, pertæsi Mannæ, quam non verebantur *panem vilissimum* appellare, *immisit Dominus serpentes ignitos, qui morderent populum*, & admorsis igneum & intentissimum calorem veneno suo inferrent: *ita moriebatur populus multus ex Israële*, Num. XXI, *6*. Quum cœpisset populus *scortari cum filiabus Moabitarum*, earumque illecebris induci ad cultum idoli Pehoris, immissâ divinitus plagâ *mortui sunt vicies quater mille*, Num. XXV, *9*.

LXXVII. Eodem, nempe ad populum instabilis & refractarii ingenii in officio continendum, faciebant severa supplicia delinquentibus citra omnem indulgentiam irrogata. *Expressit filius Israëlitidis, qui erat filius viri AEgypti, nomen* Domini, *& maledixit* alteri, cum quo rixabatur, in hunc fortè sensum, DOMINVS te perdat. Is jussus est lapidari, Levit. XXIV, *14*. Pariter qui ligna collegerat die sabbati, lapidibus obruitur, Num. XV, *32*. Faciebant eodem severissima mandata, quale Deut. XIII, *6*: *Si clam incitet te frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor sinus tui* sive tibi carissima, *aut amicus tuus, qui est sicut anima tua*, quem amas ut temetipsum, *dicendo, Eamus & colamus deos alienos: ne acquiescito illi neque auscultato illi; neque parcito oculus tuus illi, neque clementiâ utitor, neque celato illum: sed omnino occidito illum: manus tua primùm esto contra illum, ut morte afficias illum; postea verò manus totius populi.* Eodem facit pœna capitis, quæ contumacibus & nolentibus sententiæ sive Pontificis sive Iudicis acquiescere, indicitur, Deut. XVII, *8 & seqq. Si difficilis & ambigua fuerit res apud te in judicio ferendo inter sanguinem & sanguinem*, num quis cædis reus sit vel innocens, *inter caussam & caussam*, quum de pecu-

niâ vel simili negocio aut contractu litigatur, *& inter plagam & plagã*, sive num aliquis lepræ sit obnoxius vel mundus, *controversiis intra portas tuas exortis*; tunc *adibis Sacerdotes Levitas & judicem, qui fuerit in diebus illis, & quæres, & indicabunt tibi verbum judicii: & facies juxta verbum, quod indicaverint tibi è loco illo, quem elegerit Dominus, & observabis ut facias secundum omnia, quæ docuerint te. Vir autem qui fecerit per superbiam*, arrogantiam, pervicaciam, *ut non obœdiat Sacerdoti, qui steterit ut ministret illic coram Domino Deo tuo, aut Judici, morietur vir ille, & auferes malum*, id est, exemplum contumacis inobœdientiæ, ne id alii imitentur, factiones oriantur & pax publica turbetur, *ex Israële*. Acquiescendum igitur erat sententiæ, à quâ ad superiorem non daretur provocatio, sive Pontificis sive Iudicis, quoad obsequium in præstando & parendo. Liranus in hunc locum: *Hîc dicit Glossa Hebraica* R.Bechai; *Si dixerit tibi, quòd dextera sit sinistra, vel sinistra dextera, talis sententia est tenenda. Quod patet*, ait Liranus, *manifestè falsum esse: quia sententia nullius hominis, cujuscumq; sit auctoritatis, est tenenda, si contineat manifestè falsitatem vel errorem*. Lirani verba repetit Dionysius Carthusianus, & probat, *si Glossa*, inquit, *illa Hebraica dicere velit, quòd talis sententia sit tenenda ita, ut ei mente consentiatur tamquam veræ & justæ. Si autem vult dicere, quòd est tenenda ita, quòd pœna aut damnum sententiæ* sive per sententiam irrogatum *debeat patienter tolerari ab innocenta, qui non potest ad altiorem judicem in hoc mundo habere recursum, sic potest salvari* Glossa illa, vel ut veritati consona admitti. Pœnam itaque mortis, quæ in tali casu obsequium detrectanti & refractario inferri jubetur, ad severitatem disciplinæ istis temporibus congruam referri oportet. Abulensis in hoc Deuteronomij capitulum, quæst. IV: *Quædam Glossa Hebraica dicit, quòd si dixe-*

dixerit judex ille, quòd manus dextera est sinistra, vel similia; quòd etiam credendum est sibi, & tenenda sententia. Sed valde deficiunt in hoc, quia nulli homini contra per se notam veritatem dicenti credendum est. Cæterùm, ut diximus, ad obsequium non tam judicio mentis, quàm facto & opere præstandum referri oportet.

LXXIIX. Exstant sanè rigidæ severitatis vel divino jussu adversus gentes bello subactas exercitæ, vel etiam ab ipso Deo, dum fœdus Mosaicum obtinuit, irrogatæ exempla. Quum arcam fœderis à Philistæis reducem Bethsemitæ, sublato fortè per curiositatem velo, quo cooperta erat, inspexissent, *percussit Dominus è populo septuaginta viros & quinquaginta millia virorum: luxitque populus, quod percussisset Dominus populum plagâ magnâ*, I Sam. VI, *19*. Rursus quum auspiciis & ductu Davidis è domo Abinadabi eadem arca novo plaustro imposita deduceretur, & boves lascivirent sive calcitrarent, veritus Vzza (vulgato Oza) filius Abinadabi ne eam excuterent, *extendit manum suam & tenuit eam: propterea accensus irâ Dominus in VZZam, percussit ibi eum Deus propter temeritatem* vel imprudentiam, *mortuusque est ibi juxta arcam Dei*, II Sam. VI, *6*; I Chron. XIII, *9*. Elisæus prope Bethlehem pueris parvis ex urbe egressis, qui ei illuderent, *maledixit in nomine Domini; & exeuntes duo ursi è silvâ discerpserunt ex eis quadraginta duos pueros*, II Reg. II, *24*. Rex Iudæ Vzzija, (vulgato Ozias) qui posteriore Regum Azarias appellatur, quum ingressus in templum Domini sibi arrogaret *adolere super altare suffitus*, prohiberet autem Azarias sacerdos primarius unà cum reliquis sacerdotibus, & ille pertenderet, *exorta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini apud altare suffitus.* Itaque *compulsus est egredi, quia plaga afficiebat eum Dominus. Sic fuit VZZija Rex leprosus*

usque

usque ad diem mortis suæ, habitavitq; in domo liberâ sive separatâ & à commercio hominum remotâ (leprosus *solus habitato, extra castra habitatio ejus esto*, Levit. XIII, *46*) *leprosus, quia abscissus* sive exclusus *erat à domo Domini*, II Chron. XXVI, *16* & seqq. II Reg. XV, *5*. Quum Achazias rex Samariæ ad Eliam mitteret tribunum, quinquaginta militibus præfectum, & is Eliæ diceret, *Vir Dei, Rex præcepit ut descendas*; respondit Elias, *Si vir Dei ego sum, descendat ignis è cœlo, & consumat te atque quinquaginta tuos. Tum descendit ignis è cœlo, & consumsit eum & quinquaginta ejus.* Alter cum totidem ab eodem rege submissus, & idipsum repetens, similiter cum suis periit, II Reg. I, *9* & seqq. Quum Christum Dominum Samaritani vico quodam suo prohiberent, *quòd facies ejus esset proficiscentis Ierosolymam*; Apostoli Iacobus & Iohannes imitari voluerunt factum Eliæ, dixeruntque, *Domine, vis dicamus ut ignis descendat è cœlo, & consumat eos, ut etiam Elias fecit. Sed conversus Jesus objurgavit eos, dicens; Nescitis cujus spiritus vos sitis. Filius enim hominis non venit, ut perderet animas hominum, sed ut servaret*, Lucæ IX, *53* & seqq. Nempe ratio & procedendi modus pacti Evangelici novi, quod cœpit, ex quo præsentem se stitit Messias, prorsus diversus est ab eo, qui quamdiu Mosaicum vigeret, obtinuit.

LXXIX. Quoniam autem pactum Mosaicum, quod Evangelico de semine venturo & ex stirpe Abrahami prodituro accessit, peculiariter cum Israëlitis initum fuit, & quamvis priora pacta supponat & nihil eorum deterat, secundum se tamen non concernit aliud, quàm eminentiam & prosperitatem illius populi, sive terram promissam gloriosè occupandam & feliciter possidendam; ideo qui non desiderarunt populo illi inseri & paris fortunæ consortes ac participes esse, ad Mosaicum amplecten-

plectendum adacti vel obligati non fuerunt: imò ne quidem ad Abrahamicum, quatenus id non communem hominum salutem concernebat, sed peculiarem sortem & dignitatem Abrahamo promittebat, & circumcisionem injungebat. Hinc illis temporibus erant pii & fideles, qui tamen circumcisi non essent; quod nemo temerè negaverit de amicis Abrahami Aner, Eschol & Mamre; de Abimeleco rege Geraræ, fœderato Abrahami, Gen. XXI, *32*; de filiis Cheti & Hephrone, à quo emit Abraham agrum cum speluncâ in usum sepulcri, Gen. XXIII; de Rehuele Midianitâ sive Ismaëlitâ Mosis socero, in cujus tamen domo non usitata fuit circumcisio, quemadmodum intelligi potest ex facto & verbis filiæ ejus Sephoræ, uxoris Mosis, Ex. IV, 25: quam ad socerum à Mose, metuente sine dubio difficultates in itinere & Aegypto oborituras, & fortè quòd Sephora gravida esset, paritura Eliezerum (non enim nisi unius filii Gersomi mentio fit Exod. II, *22*; IV, *25*) remissam idem socer ad Mosen ex Aegypto egressum & Rephidimis, statione undecimâ, commorantem unà cum duobus filiis Gersomo & Eliezere reduxit, Exodi XIIX. Appellatur ibi Iethro, ut binominis fuerit; & suppeditato prudente de judiciis constituendis consilio domum suam revertitur. Sephora dicitur Aethiopissa Num. XII, *1*: sine dubio quòd Midianitarum regio Aethiopiæ orientali contermina. Invehuntur autem in Mosen Aharon & Miriam eo potissimùm nomine, quòd alienigenam sive peregrinam duxisset, & propterea appellationem, quæ maximam peregrinitatem redoleat, adhibent. Bileam Midianita, quamvis subdolus esset minimeque sincerus aut seriò probus, propheta tamen erat, Dominique alloquio fruebatur, & inspiratione vaticinabatur, ut notum est ex libro Nume-

rorum. Num. x, 29 memoratur *Chobab filius Rehuelis Midianitæ, soceri Mosis* (sic enim vertendum esse existimo) qui proinde fuerit affinis Mosis; quem virum rerum & regionum gnarum Moses apud se libenter retinuisset, & ad manendum invitabat, sed is respondit, *Non vadam tecum, sed ad terram meam & ad cognationem meam revertar.* Vnde patet, quòd inseri populo Israelitico non existimaverit necessarium esse ad salutem. Hujus tamen posteri, vel certè ex eis aliqui ad illum se adjunxerunt. Vide Iud. IV. *11.*

XXC. Quod de superioribus, idem affirmari oportet de Iobo, qui habitavit in regione Huz, *vir integer & rectus, timensq́ Deum & recedens à malo;* & præterea laudatur Iezech. XIV, *14*, & Iacobi V, *11*: de Hiramo rege Tyri, amico & fœderato Salomonis, 1 Reg. IX, *11*, *27*: de Reginâ Sabæ, ejusque familiâ & ministris, 1 Reg. X. Quin ipse Salomoh, quum absolvisset structuram templi, precibus suis peregrinos extraneos Deo in hunc modum commendat: *Quin etiam extraneo* vel alienigenæ, *qui non fuerit è populo tuo Israële, sed venerit è terrâ longinqua propter nomen tuum, quum adveniens orabit versus domum hanc; tu auscultato è cœlis, statione habitationis tuæ, ut facias omnino, prout clamaverit ad te extraneus: ut sciant omnes populi terræ nomen tuum, ut timeant te, sicut populus tuus Israël, & cognoscant nomen tuum invocatum esse super domum hanc quam ædificavi,* id est, domum hanc tuam esse domum & tuum templum, 1 Reg. IIX, 41 & seqq. Cui fini adjunctum fuit cæteris templi ædificiis atrium, quod gentilibus & alienigenis intrare liceret: in hoc Servator adulteram, cui interiora adire haut permissum, absolvit, Ioh. IIX; ex hoc vendentes & ementes ejecit, Marci XI, *15*. Adde superioribus Ninevitas, qui *pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ,* Matth. XII, *41*; Lucæ XI, *32*: Nahamanem Syrum, qui mundatus

Iobi 1, 1.

à leprâ

à leprâ promittit *se non facturum ampliùs holocaustum aut sacrificium diis alienis, sed DOMINO*, II Reg. v, *17*: Nebucadnezarem, qui à Deo castigatus, *Nunc* inquit, *ego Nebucadnezar laudo extolloq́ue & glorifico Regem cœli, cujus omnia opera veritas, & viæ ejus judicium*, Dan. IV, *37*: Darium Medum, qui Daniele è foveâ leonum incolumi educto, *proponit decretum, ut in toto*, inquit, *dominatu regni mei tremant & timeant omnes à conspectu Dei Danielis: quia is est Deus vivens & permanens in secula, & regnum ejus non dissipabitur, & imperium ejus ad finem usque*, sive in æternum, Dan. VI, 27; Cyrum, qui sub finem Chronicorum & initium libri Ezræ in hunc edicit: *Omnia regna terræ tradidit mihi Deus cœli; & ipse commisit mihi, ut ædificem sibi domum Ierosolymis, quæ sunt in Iudâ.* In eumdem censum referendi videntur *Græci, qui adscenderunt ut adorarent in die festo*, Iohan. XII, *20*: Cornelius, centurio Romanus, *pius ac timens Deum cum totâ domo suâ*, Act. X, *2*: inprimis verò *Aethiops eunuchus, dynastes Candaces reginæ Aethiopum, qui venerat Jerosolymam adoraturus, & revertebatur sedens in curru suo, legebatq́ue Esaiam prophetam*, Act. IIX, *27*.

XXCI. Antiquissima itaque fuerit distinctio proselytorum sive advenarum in proselytos justitiæ, & proselytos portæ. גרי השער & גרי צדק Proselyti justitiæ, id est, justi & veri, circumcisi & totam Mosaicam legem amplexi, atque adeo Israëlitico populo inserti, qualis Vrias Hitthæus, quem propter uxorem interfici fecit David; Arauna vel Ornan Iebusæus, II Sam. XXIV, *16*; I Chron. XXI, *18*; qualis etiam describitur Achior Ammonita Iudithæ XIV, *6*, juxta Vulgatam his verbis: *Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israëlis, relicto gentilitatis ritu credidit Deo, & circumcidit carnem præputii sui, & appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem.* Talis etiam Onkelos,

kelos', sive paraphrastes sit Chaldæus, qui in Pentateuchum exstat, sive alius; talis Nicolaus, ab Apostolis diaconus electus, Act. VI, *6*. Proselyti portæ deducuntur ex Deut. XIV, *21*, ubi præcipit Dominus Israëlitis, *Non comedetis ullum morticinum*, sive per se & sine vulnere sanguinisque emissione mortuum, *peregrino* (Onkelos, *incircumciso*) *qui est intra portas tuas dabis illud & comedet illud.* Appellantur quoque גרי הושב advenæ cohabitationis vel inquilini. Hisce, ajunt Iudæi, septem præcepta fuisse imposita, quæ vocant præcepta filiorum Nohæ; & communiter sic enumerant, quod primum sit de observandâ justitiâ; secundum de Deo benedicendo & laudando; tertium de fugiendâ idololatriâ; quartum de incestu; quintum de homicidio; sextum de rapinâ vitandis; & tandem septimum de membro vivi animalis, sive po-
Gen. 9. 4. tiùs de *carne cum sanguine ejus, qui est anima* vel vita *ejus*, non comedendâ, quum qui carnem cum sanguine manducat, videatur carnem unà cum vitâ suâ devorare. Recensentur in Gemarâ Codicis Sanhedrin, cap. VII; quamquam variantibus, ut solet, Rabbinorum verbis & sententiis. Recenset quoque Moses Maimonides halachâ sive sectione ultimâ totius sui operis Mischne torah, quæ agit de Regibus & bellis gerendis, sub initium capitis noni, ubi dicit ipsi Adamo fuisse imposita, & ad ea servanda rectam rationem inclinare. Sub finem capitis præcedentis dixerat, quòd qui susceperit & servaverit hæc septem præcepta, quòd intelligat Deum servari velle, זה מחסידי אומות העולם *is sit ex piis gentibus*, ויש לו חלק לעולם הבא *habeatque partem in seculo futuro*. AEternam itaque salutem ab observatione ceremoniarum Mosaicarum ne Maimonides quidem simpliciter suspendit, sed quidquid ejus fuerit, ad populum, cui peculiariter injunctæ, restringit.

Quòd

Quòd autem nulla fit mentio de exspectando semine benedicto, arguit numerum hunc præceptorum filiis Noachi, id est, omnibus qui Israëlitæ non essent, injunctorum à Rabbinis sequioris seculi profectum & excogitatum esse.

XXCII. Proselytis portæ sive inquilinis admodum affines fuerint, qui aliunde & ex populis exteris ac remotis Ierosolymam ad adorandum verum Deum adscenderunt; de quibus paullò antè. Hellenistæ, qui in Actis memorantur, fuerunt origine Iudæi. Quorum enim mentio fit Act. VI, 1; illos partem fuisse ecclesiæ Apostolicæ, in quam nondum admissi erant Græci gentiles, certum est. Rectè itaque reddidit interpres Syrus Act. IX, 29, *Iudæos qui noverant græcè*, inter Græcos videlicet nati & conversati, & proinde græco quidem sermone usi, sed eum phrasi Hebrææ, cui in sacris suis adsueverant, conformantes. Multitudo rituum & præceptorum Mosaicorum ingens erat, uti notum est. Iudæi numerant præcepta affirmantia CCXLIIX, quot volunt esse membra corporis humani; negantia CCCLXV, juxta numerum dierum anni. Fuerint universa DCXIII. Ita R. Samlai capite tertio Codicis Maccoth. Vbi tamen annotatur ad undecim redacta esse; à Davide à Iesaia ad sex; à Micha ad tria; & tandem ab Habacuco ad unum, *Iustus in fide suâ vivet*, Hab. II, 4.

Act. 6, 1; 9, 29; 11, 20.

XXCIII. Operosa & preciosa structura arcæ fœderis præscribitur Mosi Exodi XXV. Erat autem è lignis cedrorum lectissimarum, longitudine duorum cubitorum cum dimidio, & sesquicubiti tum latitudiue tum altitudine; obducta auro puro intrinsecus & extrinsecus, additis quatuor annulis aureis, quibus insererentur cedrini vectes auro obducti; habens præterea limbum

aureum circumquaque, & operculum, quod ἱλαστήριον vel
propitiatoriũ dicebatur, ex auro puro, operculoq; altrin-
ſecus incumbentes duos Cherubinos aureos. In eâ pone-
batur *teſtimonium*, quod dabat Dominus Moſi, Ex. xxv, 16
& *21*; xl, *20*. Ipſe Salomon, *Diſpoſui*, inquit, *locum pro ar-
câ, in quâ eſt fœdus Domini, quod pepigit cum patribus noſtris,
quum educeret eos è terrâ Ægypti*, 1 Reg. 11, *21*. Vrna verò,
in quâ ſervabatur tantum Mannæ, quantum capi pote-
rat menſurâ Homer, jubetur poni *coram Domino*, & *coram
teſtimonio*, arcâ teſtimonii ſive fœderis, Exodi xvi, *33* &
34: item virga Aharonis, quæ floruerat & amygdala pro-
tulerat, Num. xvii 10. Nihilominus junguntur iſtæ *ta-
bulis fœderis*, & dicuntur unà in arcâ fuiſſe, Hebr. ix, 4:
quum tamen ſcriptum ſit, *Nihil erat in arcâ præter duas ta-
bulas fœderis, quas collocaverat ibi Moſes in Horeb, quando pa-
ctus eſt Dominus cum filiis Iſraël egredientibus è terrâ Ægypti*,
1 Reg. iix, *9*; ii Chron. v, *10*. Loquitur autem Epiſtola
de tabernaculo, quale erat primis temporibus, quando
diſſolvi & portari potuit: libri verò hiſtorici de templo
jam exſtructo. Dico itaque temporibus, quibus locum
ſubinde tabernaculum variabat, additas tabulis fœderis
fuiſſe urnam & virgam, & arcæ ſimul incluſas; quod mu-
taverit, quum fixam ſedem exſtructo à Salomone tem-
plo arca nacta eſſet: tum enim urnam & virgam ponè ar-
cam ſive coram arcâ, quod verbis Domini inprimis con-
forme, poſitas fuiſſe. Paullò antè dixerat Epiſtola, ſan-
cta ſanctorum ſive ſummum ſanctuarium habuiſſe θυμια-
τήριον. Si vertatur *turibulum*, nulla vel apud Moſen vel
alibi turibuli ſummo ſanctuario proprii mentio; ſi verò
ara ſuffitus, conſtat eam in ſanctuario, ſacerdotibus adſi-
gnato, & non in ſummo ſitam fuiſſe. Quoniam tamen
ei propè adſtabat & proximum erat, propterea accenſe-
tur,

tur, quasi ad id pertineret. Verba sunt Domini ad Mosen: *Pones altare aureum ad suffitum coram arcâ testimonii.* Qui obsequutus *posuit altare aureum in tabernaculo conventus coram velo,* quod sancta sanctorum à proximo sanctuario distinguebat, Exodi XL, *5* & *26.* Notandum tria tabernaculi fuisse vela, Unum, cujus modò & in adductis versiculis facta fuit mentio, (adde Exod. XXVI, *31 & 33*; XXX, *6*) ubique פרכת appellatum; alterum inter sanctuarium & atrium populi, dictum velum vel tegumentum *januæ* sive ostii vers. *5 & 28*; tertium fuit velum *portæ atrii,* quod populus intrabat, hac appellatione memoratum vers. *8 & 33.* Quoniam igitur ata suffitus collocata erat לפני ארון & לפני הפרכת in facie arcæ & primarii veli, sive coram arcâ & illo velo, atque adeo suffitus fieri dicitur לפני הערת *coram testimonio,* Exod. XXX, *36*; ideo arca illa cum arcâ testimonii conjungitur. Sic mihi concilianda videtur, quæ aliàs pugnant & multos torquent: nec ægrè feram, si quis alia vel magis apposita attulerit.

XXCIV. Erat autem arca symbolum peculiaris præsentiæ divinæ, sive præsentissimæ, ut ita loquar, præsentiæ. Quamvis enim Deus per infinitam suam essentiam & potentiam non possit non adesse ubique, liberè tamen, quidquid vult, operatur, inprimis verò gratiosè ibi adest & operatur, ubi ita vult adesse & operari. *Quando ingrediebatur Moses tentorium conventus, ut loqueretur cum Deo,* sive Deum consuleret, *audiebat vocem sermocinantem secum è propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubinos: sic alloquebatur eum,* Num. VII, *89.* Erat autem sensibile quoque symbolum præsentiæ divinæ *nubès illa, quæ tentorium conventus,* mox ut absolutum & erectum erat, *operuit, adeo ut non posset Moses ingredi in tentorium conventus, quum incubuisset ei nubes: nam gloria Domini implebat ipsum*

psum tabernaculum. Quando autem attollebatur nubes illa è tabernaculo, proficiscebantur filij Israëlis; si non attollebatur, non proficiscebantur, usque dum tolleretur. Nubes enim Domini erat super tabernaculum interdiu, & ignis in eâ nube *noctu* conspiciebatur, Ex. ultimo, vers. ultimis. Vnde ad populum Moses Deut. I. *33: Deus præit vobis in hac viâ ad explorandum vobis locum pro castrametatione vestrâ, igne noctu, ut lucem vobis præbeat in viâ, per quam ituri estis, & nube interdiu.* Quâ de re plura Num. IX, *15* & seqq. Nubes erat interdiu, sed specie ignis noctu. Antequam conficeretur juxta divinum præscriptum tabernaculum conventus publicum, *Moses tentorium suum tetendit extra castra, procul recedendo à castris, vocavitq́; illud Tentorium conventus: erat enim ut quisquis consulturus erat Dominum, exiret versus tentorium conventus, quod erat extra castra. Fuit verò quum ingrederetur Moses in tentorium illud, ut descendens columna nubis consisteret ad ostium tentorii, & loqueretur cum Mose*, Exodi XXXIII, Quoniam autem ad eum modum arca signum erat præsentiæ divinæ, & quidem gratiosæ cum protectione & auxilio conjunctæ, propterea, *quando profectura erat arca, dicebat Moses, Surge Domine, & dispergantur inimici tui, fugiantq́; osores tui à facie tuâ: quum verò consisteret illa, dicebat, Da quietem Domine myriadibus, millibus Israëlis*, Num. X, *35 & 36.*

XXCV. Non tamen ita ad arcam se obligaverat Dominus, ut non potiùs spectaret conditionem, quam populo isti constituerat & stipulatus erat, nempe obsequium & integritatem morum. Etiamsi igitur belligerantes contra Philistæos accersi fecissent arcam, hactenus in Siloh (quò è Gilgal transtulerat Iosua) commorantem, & excepissent cum jubilo & vociferatione, nihilominus succuberunt cæsis triginta millibus: quin passus est Dominus ipsam arcam capi, & in manus Phili- Iof. 18, 1.

stæo-

stæorum venire, 1 Sam. IV: apud quos septem menses commorata fuit, 1 Sam. VI, *1*. Ad reddendam quidem & reducendam adacti fuerunt Philistæi, à quibus veniens in urbem Ieharimorum (quæ nomen quoque Bahalæ obtinuit, Ios. XV, *9*) deducta fuit, & illata in domum Abidanabi in colle sitam, 1 Sam. VII, *1*: ubi mansit toto tempore, quo Saul regnavit; nisi quòd prisco more ad populum in castra aliquando translata fuit, 1 Sam. XIV, *18*. Nobi igitur, ubi degebat Achimelech sacerdos, qui Davidi panes è sacrâ mensâ, in quâ propositi fuerant, amotos suppeditavit, & gladium Goliathi, qui ibi post amiculum sive locum, in quo servabantur vestes sacerdotales, involutus panno depositus erat, porrexit; hic, inquam Nobi tentorium fuit sine arcâ (vide 1 Sam. XXI) translatum eò ut videtur, quum post ingentem illam à Philistæis illatam cladem caperetur aut vastaretur Silo. Nobum autem Saul occisis viris & fæminis, pueris & lactentibus, asinis & bobus & ovibus penitus evertit, interfecto Achimeleco propter officia Davidi præstita: imò *XXCV viris gestantibus amiculum lineum*, 1 Samuel. XXII, *18 & 19*.

XXCVI. Eversâ itaque Nobo tentorium, quod Moses per Bezaleelem construxerat, translatum fuit in excelsum Gibeon, ubi erat tempore Davidis, sicut clarè indicatur 1 Chron. XXI, *29*; & clariùs adhuc sub initium posterioris Chronicorum, ubi legimus, ut sequitur: *Abierunt Salomo & totus Israël cum eo in excelsum quod erat Gibeone, quia ibi erat tentorium conventûs Dei, quod fecerat Moses servus Domini in deserto. Altare quoque æreum, quod fecerat Bezaleel, ibi erat coram tabernaculo Domini.* Gibeone itaque fuit tabernaculum conventus & altare holocausti: arca verò in urbe Ieharimorum. At ereptâ Iebusæis arce Si- Cap. I. v. 3 & 5.

M onis

onis, & in civitatem Davidis commutatâ, congregavit David delectos ex Israële triginta mille, ut *Bahala Iehudæ* sive urbe Ieharimorum *deducerent arcam Dei, & deportarent è domo Abinadabi, qua erat in colle*, II Sam. VI, 1, 2, 3. Deducta tum fuisset in civitatem Davidis, nisi terruisset tristis casus Vzzæ; per quem factum, ut diverteret in domum Obed-Edom Gitthæi: unde post tres menses trans-
2 Sam. 6, 17 lata fuit in civitatem Davidis, & *introducta in tentorium, quod tetenderat ei David*; ibi commorata, donec à Salomone exstrueretur templum, in quo collocaretur. *Arcam Dei deduxerat David ex urbe Ieharimorum in locum, quem paraverat ei David, quum tetendisset ei tentorium Ierosolymis*, II Chron. 1, 4. Hæc de arcâ, quæ nobilitata fuit appellationibus *arcæ testimonii & fæderis Dei*, hic annotanda duximus. De mensâ panum faciei, lychnucho, arâ thymiatis, altari holocausti, vestibus sacerdotalibus cæterisque Mosaicis ritibus & statutis non prosequemur nunc omnia.

XXCVII. De sacrificiis tamen monemus, inter ea præcipua fuisse holocausta, ita Græcis dicta, quòd tota cremarentur ad testandum honorem Deo debitum. Hebræis עלה *adscensio*; per ignem enim sursum mittebantur. Fiebant ex bobus, ovibus, capris; quæ secabantur in partes, crura & intestina lavabantur, & sic omnia in altari posita exurebantur, ut videre est Levitici primo; ubi etiam, quomodo turtures & columbæ in holocaustum offerrentur, exponitur. Pellis detracta, & nihil præter eam, sacerdoti sacrificanti tribuebatur, Levit. VII, 8. Erat autem holocaustum aliud juge sive quotidianum; aliud proprium sabbatis, noviluniis & festis. Quotidianum erant agni anniculi bini. *Horum* jubet Dominus *unum offerri manè, & alterum inter duas vesperas*. Addebatur simila

mila miſta cum oleo tuſo: ſimila, confecta è puriſſimâ farinâ, ad menſuram decimæ partis Epha; oleum verò, quarta pars Hinis. Et hæc erat Minha. Accedebat Libamen ſive vinum, quantum caperet quarta pars Hinis. Erant enim Minha & Libamen appendices ſive additamenta ſacrificiorum, præſertim holocauſtorum, ſicut intelligi poteſt ex his ipſis locis, quibus imperantur holocauſta quotidiana, nempe Ex. XXIX, *39*, *40*; & Num. XXIIX, *3* & ſeqq. imò è Num. XXIX, ubi crebrò memorantur holocauſta unà cum minhis & libaminibus ſuis. Inde per elegantem allegoriam ſanctus Paulus Phil. II, *17*, Ἀλλ᾽ εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, *Quinetiam ſi pro libamento offerar ſuper hoſtiâ ſacrificióq; fidei veſtræ, gaudeo & gratulor omnibus vobis*. Nempe fidem Philippenſium vult eſſe tamquam hoſtiam vel holocauſtum, cui nobili ſacrificio ſua mors tamquam libamen accedat.

XXCIIX. Sicut autem ſingulis matutinis & veſperis offerebantur holocauſta, ita quoque in arâ ſuffitus adolebatur thymiama, & ſimul curabantur lucernæ lychnuchi. Verba ſunt Exodi XXX, 7: *Adolebit ſuper illud* altare ſuffitus *Aharon ſuffimentum aromatum ſingulis matutinis: quando aptabit lucernas*, repurgabit videlicet & immunditiem noctu contractam amovebit, tum *adolebit illud. Similiter quando incendet lucernas inter duas veſperas, adolebit illud ſuffimentum jugiter coram Domino per generationes veſtras.* Philo dicit id factum eſſe ἀνίσχοντος ἡλίου καὶ δυομένου πρό τε τῆς ἑωθινῆς θυσίας καὶ μετὰ τὴν ἑσπερινὴν, *oriente ſole & occidente, ante matutinum & poſt veſpertinum ſacrificium*. Panes (L. de victimis poſt init.) verò propoſitionis ſive faciei, qui juxta numerum menſium anni duodecim erant, menſæ, (cujus ſtructura deſcribitur Ex. XXV, *23* & ſeqq.) ab utraque parte ſeni impone-

ponebantur, & remotis alii substituebantur singulis sabbatis. Vide Lev. xxiv, 5 & seqq. Sed ad holocausta redeamus, quæ qualia quotidie fuerint diximus: sed sabbatis duplicabantur: amplificabantur etiam haut modicis accessionibus in neomeniis sive noviluniis, & in festis Paschæ, primitiarum, σκηνοπηγίας, die buccinarum & die solennis jejunii, quod in decimum mensis septimi competebat. De quibus videnda Num. xxiix & xxix: inprimis verò de solenni jejunio & anniversariâ expiatione tum factâ Num. xvi.

XXCIX. Holocaustis enim sæpe jungebantur sacrificia Propitiatoria sive Expiatoria, quæ etiam pro delicto & pro peccato appellantur. Quæ fuerit differentia inter hoc & illud, vix fortè sciri hodie poterit. Fuit tamen aliqua, quod evincunt verba, quæ sunt Levit. vii, 7: כחטאת כאשם *Sicut peccatum sic delictum*, sive sicut hostia pro peccato, sic hostia pro delicto, *lex eadem utrique*. Id agnoscit Augustinus Quæstione super Leviticum xx: quamquam expedire nequit. *Potest*, inquit, *videri illud esse delictum, quod imprudenter, id est, ignoranter; illud peccatum, quod ab sciente committitur.* —— *sed sive illa, sive ista, sive alia aliqua differentia sit peccati & delicti, nisi aliqua esset, non Scriptura ita loqueretur. Indifferenter autem plerumque dicuntur, ut & peccatum nomine delicti, & delictum nomine peccati appelletur.* Cæterùm inprimis notandum, quòd in Scripturâ vetere passim peccatum hostiam pro peccato, & delictum hostiam pro delicto significat. Inde Iesaias de
Cap. 53, 10. Messia vaticinatus, *Quum posuerit se* אשם *delictum*, id est, hostiam pro delicto *anima ejus, videbit semen*, quod *prolongabit dies; & beneplacitum DOMINI per eum prosperabitur.* Dominus Deus videlicet, ut loquitur istam sermonis
2 Cor. 5, 21 formulam sequutus sanctus Paulus, *eum, qui non noverat*

pecca-

peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in eo, id est, justi coram Deo per eum, sive interventu & merito sacrificii, quod is obtulit. Nos enim istâ ratione justificari, voluntas & beneplacitum est DOMINI. Rectè Augustinus libro de peccato originali contra Pelagium & Celestium, cap. XXXII: *Deus, cui reconciliamur, fecit eum pro nobis peccatum, id est, sacrificium per quod dimitterentur peccata nostra: quoniam peccata vocantur sacrificia pro peccatis.*

XC. Erant autem alia pro peccatis per ignorantiam & errorem commissis, à sacerdote, à toto populo, à principe, à privatis vel ditioribus vel tenuioribus: (vide Levitici cap. IV & V.) alia pro peccatis voluntariis sive quæ deliberatò perpetrarentur, Levit. VI. Multus in his sacrificiis hircorum usus, ut constat ex Num. XXIIX & XXIX. Ad hæc expiatoria sacrificia referuntur etiam illa, quibus mundabantur puerperæ, Levit. XII; leprosi, Lev. XIII & XIV; viri gonorrhœam & fæminæ fluxum sanguinis passæ, Lev. XV. Refert Iosephus Manethonem AEgyptium, Chæremonem & Lysimachum gentiles historicos fingere, quòd populus Israëliticus fuerit colluvies leprosorum morbidorumque hominum, & propterea AEgypto ejectus; quin quòd ipse Moses leprâ laboraverit. Rectè verò Iosephus: *Quòd ejusmodi calamitatis corpus expers habuit, ipsius dicta indicant. Leprosis enim & oppida & vicos interdixit, ut seorsim in lacero vestitu agant; & eum qui illos attigisset, aut sub idem tectum successisset, pro immundo habet.* Sed hæc obiter. Eodem pertinebat juvenca rufa, cujus extra castra combustæ cineribus affundebatur aqua viva, & parabatur *aqua separationis* dicta, quâ qui propter ossis humani aut sepulcri aut cadaveris contactum, imò sub eodem tecto viciniam à commercio aliorum separati e-

1 cont. Apion. in fine.

 rant,

rant, mundabantur, Num. XIX. Præcepit enim Dominus *ejici è castris omnem leprosum, & omnem gonorrhœâ laborantem, & omnem immundum propter cadaver*, Num. V, 2. Faciebant verò ista non nisi ad carnis puritatem, vel immunditiem externam, propter quam, qui obnoxii essent, cœtibus arcebantur, tollendam: interim illi, qui præceptum adhibendæ purificationis negligerent, propter inobœdientiam pœnæ subjiciuntur. *Quisquis immundus fuerit, & non purgaverit se, omnino exscindetur anima illa è medio hujus cœtus*, Num. XIX, 20.

XCI. Hic omnino videtur operæ precium nonnulla Apostolica verba epistolæ ad Hebræos considerare. *Lex*, ut est initio capitis decimi, *umbram habet futurorum bonorum, non expressam formam rerum*. Vmbram habet, tum respectu propositionis & declarationis istorum bonorum hominibus illo tempore factæ; tum respectu Messiæ, per quem & cujus mortem acquirenda erant; tum etiam respectu fidei, quæ à parte hominum, tamquam medium acquirendi intercedebat. Hæc enim ævo illo, quo vigebat pactum Mosaicum, si compararetur cum eâ, qualis hodie est sub Novo explicita, clara & distincta, adhuc erat implicita, obscura & confusa; ferebatur tamen in Messiam venturum: Messias verò venturus, *pontifex futurorum bonorum* (Hebr. IX, 11) cujus videlicet interventu & merito futura bona obtinentur, ejusque mors, precium redemtionis nostræ, typis & sacrificiis adumbrabatur: quin etiam ipsa cœlestis hereditas & æterna vita sub typo terræ promissæ & terrenæ prosperitatis proponebatur. Hinc quum docuisset Apostolus *rituum* sive ceremoniarum legalium *chirographum, quod hominibus erat contrarium*, (quippe quando abluebantur, se immundos; quando victimas offerebant, se mortis reos fateban-

bantur, & suopte facto, tamquam chirographo testabantur) *cruci esse affixum & è medio sublatum*, consummatis videlicet omnibus & in claram lucem productis, quæ ad redimendos homines à Messia præstanda fuerant, eò tamen usque præstita non erant, sed saltem adumbrata; subjungit, *Nemo itaque vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu festi, aut novilunii, aut sabbatorum: quæ sunt umbra rerum futurarum*, nempe mundities externa interioris munditiei, celebratio festorum & sabbatorum gaudii & tranquillitatis animorum & conscientiæ; *at corpus sive res ipsa est Christi*, & à Christo tota derivatur, Col. II, *16* & *17*. Vmbra quidem sive per delineationes aliquas fiat, sive per interceptos solis radios, repræsentat corpus, vel est quædam corporis imago & figura; ingens tamen discrimen inter umbram & corpus ipsum: sic etiam inter legem futura bona obscurè proponentem (in Psalmis & per Prophetas expressiùs proponuntur, quàm in Lege Mosaicâ) & Novum pactum præsentia clarè exhibens. Nemo tamen ista ita accipiat, quasi durante pacto Mosaico homines servari non potuerint. Non quidem per pactum Mosaicum servabantur, sed per Evangelicum, quod supponebatur, jungebatur & involvebatur: atque adeò, etiamsi fides in Messiam venturum quò ad omnia, quæ passus est & præstitit, non esset ita plena & distincta, sicut est hodie, in exhibitum; non tamen erat nulla, sed quò ad latitudinem cogniti objecti tanta, quanta isto rerum statu sufficeret: quò ad πληροφορίαν verò, æqualis aut etiam apud nonnullos major. Quamvis autem sacrificium, per quod redimimur, actu & reapse à Christo oblatum fuit sub Novo pacto, unde etiam ipse *Novi pacti mediator* dicitur, Hebr. IX, *15*; *sponsor melioris pacti*, Hebr. VII, *22*; *mediator præstantioris pacti, quod præstanti-*

oribus

oribus promissis, non terrenis scilicet, sed spiritualibus & cœlestibus *sancitum est*, Hebr. IIX, 6: porrigit illud tamen virtutem & efficaciam suam in omnia antecedentia tempora, *ut morte ad redemtionem earum, quæ fuerant sub priore pacto, transgressionum intercedente, qui vocati erant promissam æternam hereditatem acciperent*, Hebr. IX, 15.

Vers. 1. XCII. Sed ad caput decimum revertamur. *Lex umbram habens futurorum* sive cœlestium *bonorum* (unde *sacer-*
Hebr. 8, 5. *dotes Levitici exemplari & umbræ rerum cœlestium deservire* dicuntur) *non ipsam expressam formam rerum, iis hostiis, quas singulis annis continenter offerunt, numquam potest accedentes consummare*, vel ad debitam & optatam perfectionem deducere. ALIOQVIN DESIISSENT OFFERRI (imperfecti sacrificii indubitatum argumentum statuit repetitionem) PROPTEREA QVÒD CVLTORES SEMEL PVRIFICATI NVLLORVM PECCATORVM, quæ sufficiente sacrificio expiata non sint, aut iterato expiari oporteat, AMPLIÙS SIBI ESSENT CONSCII. Non quidem ab omni peccato
1 Ioh. 1, 8. immunes sunt fideles. nam *si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est*. Quanta quidem potest opera est danda, *ut non peccetis*, sicut scri-
1 Ioh. 2, 1. bit sanctus Iohannes. *Quòd si quis* autem *peccaverit, advocatum apud Patrem habemus Iesum Christum justum. Et ipse est* ἱλασμὸς *propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi*. Interim ut repetatur victima propitiatoria, & denuò offeratur, prorsus nec opus est, nec fieri potest. AT IN ISTIS propitiatoriis Leviticis sacrificiis fit REPETITA MENTIO PECCATORVM QVOTANNIS. Respicit potissimùm ad solenne illud sacrum, quod peragebatur die decimo mensis septimi: de quo Lev. XVI. Dices fortè, Num repetere confessionem peccati id importat, quòd novâ pro expiandis peccatis opus sit

opus sit

pus sit victimâ? Respondeo id concedendum esse de tali confessione, qualis apud sacrificia Levitica peragebatur. Neque enim ipsa, neque sacrificia, quibus adhibebatur, directè & per se aliò tendebant, quàm ad munditiem carnis sive externam, & admissionem ad conventus ecclesiasticos & civiles. NON ENIM POTEST SANGVIS TAVRORVM ET HIRCORVM AVFERRE PECCATA, vel quoad reatum, ut aboleatur obligatio ad luendam in divino judicio pœnam; vel quoad *conscientiam emundandam à mortuis operibus, ad colendum Deum vivum*, sicut emundat *sanguis Christi*, Heb. IX, *14*. Nempe virtute sanguinis Christi, vel per Christi meritum & mortem fit, ut fidelibus Deus gratiam impertiat, per quam possint vincere peccatum, ne amplius serviant peccato, peccatúmue in iis regnet, atque adeo ne contra conscientiam peccent, sive ut conscientiam servent illæsam. Id præstat sanguis Christi, non autem taurorum & hircorum. Ob hanc itaque caussam peculiari lege & mandato divino fiebat *repetita mentio peccatorum quotannis*, ut scilicet esset commonefactio, quòd per expiationes istas Leviticas nec aboleretur pœna divinæ justitiæ exsolvenda, nec præberetur gratia ad vincendum peccatum necessaria; sed quòd utrumque ab alio longè perfectiore sacrificio per venturum Messiam exhibendo penderet. Hoc enim posito, etiamsi repetatur confessio peccatorum, non tamen per eam indicatur, quòd repetito aliquo expiatorio sacrificio indigeant; aut gratia, per quam vincatur peccatum & conscientia munda præstetur, desit; aut, si vel maximè fuerit commissum peccatum, non possit ejus haberi remissio per unicum illud semel oblatum sacrificium.

XCIII. Epistola ex XL psalmo Davidis, qui insi-

gnis fuit typus Christi, subjungit, quòd Deus holocautomata & expiatoria sacrificia Levitica nec velit nec approbet, tamquam per se grata, aut quæ coram ipso peccata expiare & auferre idonea: nam aliàs voluisse & jussisse offerri manifestum est: sed Christum ingressum esse mundum & adfuisse, ut faceret voluntatem Dei, nempe passione & morte suâ pro peccatis generis humani satisfaceret. Hinc enim Christus ipse: *Pater mi, si non potest hic calix abire à me, quin bibam eum, fiat voluntas tua.* Matth. XXVI, 42. Si tibi placet, & stat sententia, ut mors mea justitiæ tuæ pro peccatis hominum satisfaciat, & ἀντίλυτρον sit, fiat voluntas tua. *Quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel* factam. Oblatio itaque corporis Christi non est facta primùm in ultimâ cœnâ, deinde in cruce, sed semel facta est in cruce; numquam deinceps repetenda. *Omnis* quidem *sacerdos* Leviticus *adstat quotidie sacro ministerio defungens, & easdem sæpiùs offerens hostias, quæ numquam possint auferre peccata: Christus verò, unâ pro peccatis oblatâ in perpetuùm victimâ, consedit ad dexteram Dei: unicâ enim oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Ita Epistola ad Hebræos Christi oblationem unicam & semel factam repetitis sacrificiis Leviticis opponit, & inculcat, ut ab eâ repetitionem, quippe certissimum imperfectionis argumentum, removeat. Sic etiam sub finem superioris capituli: *Sicut illud statutum est hominibus, ut semel moriantur; ita & Christus semel oblatus est.* Fieri itaque non potest, ut ullum detur sacrificium, ulla oblatio vel immolatio, quæ sit eadem specie cum immolatione vel oblatione sacrificii, quam Christus peregit in cruce. Is Deo Patri corpus suum, quum id in mortem traderet, & sanguinem suum, quum eum effunderet, in ἀντίλυτρον

Margin notes: Heb. 10, 10. (beside "at, & ἀντίλυτρον sit"); v. 11. (beside "est in cruce"); v. 12. (beside "ferre peccata"); v. 14. (beside "ùm victimâ"); Heb. 9, 27. (beside "rioris capituli")

pro

pro redimendis hominibus obtulit. Qui sanctam Eucharistiam administrant, non possunt denuò corpus Christi in mortem tradere vel sanguinem effundere, nec aliter Deo offerre, quàm precando ut in ea semel oblata velit respicere, & propter ea nobis propitius esse & nostrûm misereri. Possunt quidem & debent, quæ semel in cruce peracta fuerunt, modo, quem Christus instituit, adumbrare & commemorare; sed iterare non possunt. Actiones itaque, quas in administrandâ Eucharistiâ obeunt, ab eâ, quam Christus in cruce peregit, dum semetipsum Patri in mortem obtulit, specie, imò toto genere differunt. Et hæc considerationi Leviticorum pro peccatis sacrificiorum, quæ erant inter præcipuas umbras & figuras sacrificii in cruce à Christo oblati, in occasione adjicienda duximus.

XCIV. Tertii generis sacrificia erant Pacifica, ut appellat Vetus interpres, & alii post eum, de quibus Levit. III; & VII, *11 & seqq.* Erant autem vel Eucharistica pro beneficiis acceptis; vel Spontanea & Votiva pro impetrandis. Victimæ erant boves, oves & capræ. Adeps omnis, renes & caudæ ovium adolebantur. Pectus & dexter armus cedebant sacerdoti: cætera offerentibus, quibus inde epulum instruere fas erat. זבח תודה Sacrificium laudis vel gratiarum actionis adjunctas habebat placentas infermentatas, oleo mixtas & unctas, quin etiam panem fermentatum. Absumendum erat eopse, quo offerebatur, die: quod ipsum repetitur Levit. XXII, *30.* Spontaneorum & votivorum (de iis agitur etiam Lev. XXII, *18*; & Deut. XXIII, *21*) reliquias altero quoque die comedere licebat, sed non tertio. Notabile est, quod scribitur Salomoh, quum dedicaret domum Domini, *sacrificasse in sacrificium pacificorum boves vicies*

N 2 bis

bis mille, & pecudes sive oves centies vicies mille, 1 Reg. IIX, *63*.

XCV. Pacificis accenseri possunt sacrificia consecrationum, quibus ministerio suo initiabantur sacerdotes Levitici. Dicuntur *impletiones manuum* in Scripturâ Hebræâ; cui videlicet implere manus idem est quod initiare sacerdotio. In ipso enim initiationis actu manibus novitiorum imponebantur, qualia in futuro suo ministerio erant oblaturi. Quomodo consecrandi fuerint Aharon ejusque filii præcipit & præscribit Dominus Exodi XXIX; quod exsequitur Moses Levit. IIX. Offerebantur quidem primò sacrificium pro peccato & holocaustum: sed adjungebatur sacrificium, cujus adeps & omentum & renes & cauda adolerentur, pectus & armus dexter cederent consecranti, reliqua verò in cibum consecratis, absumendum eopse die, nec differendum usque in alterum, uti quoque de sacrificiis תּוֹדָה laudis sive confessionis vel gratiarum actionis lex erat. Hæc conveniunt cum sacrificiis pacificis, ut proinde ad eorum classem referri possint Impletionum vel Consecrationum sacrificia. Hinc etiam Philo Iudæus libro De victimis, qui græcè inscribitur Περὶ ζώων τῶν εἰς θυσίας, ipsum Mosen ait sacrificia distinxisse trifariam, εἰς τρία εἴδη τὰ ἀνωτάτω, τὸ ὁλόκαυτον, τὸ σωτήριον, τὸ περὶ ἁμαρτίας. Nec discrepat Iosephus Antiquitatum tertio, cap. x. Quæ autem Latini Pacifica, Philo σωτήρια vocat, ipse Χαριστήρια appellat, à gratiarum actione, quòd Eucharistica in hac classe, ad quam tamen etiam Votiva & Spontanea pertinent, eminerent. De sacrificiis hæc aliquanto prolixiùs commentari voluimus, quòd faciant ad adsequendum sensum & vim epistolæ ad Hebræos, & ad intelligendum discrimen inter sacrificia Levitica, quæ non nisi ex-

ſi externam mundiciem operabantur, ac iterabantur; & inter ſacrificium Chriſti ſemel in cruce oblatum, initerabile, expians per plenariam ſatisfactionem peccata coram Deo & mundans conſcientias.

XCVI. Cætera, quæ tempus & ſtatum veteris teſtamenti concernunt, levi tantùm brachio attingemus. Poſt exſtructum à Salomone templum & poſt ipſum, qui ſupremo vitæ ſuæ temporæ in gratiam mulierculaſrum perperam ſe geſſit, ut de ſalute ejus res ſit admodum incerta, exſtinctum, decem tribus à Rehabeamo Salomonis filio defecerunt, & Ieroboamo Nebati filio ſe ſubdiderunt. Quod prædixerat, & novo pallio in duodecim partes lacerato, decemque partibus Ieroboamo traditis præfiguraverat Ahias Silonites propheta. Non ſolùm enim verbis prædicere, ſed ſæpe ſignis etiam res futuras adumbrare & oculis ingerere ſoliti prophetæ. Dixit Ieroboamo: *Accipe tibi decem fragmenta: nam ſic ait Dominus Deus Iſraëlis, Ecce ego laceraturus ſum regnum hoc è manu Salomonis, & daturus tibi decem tribus: tribus autem una erit ejus propter ſervum meum Davidem. Non tamen auferam quidquam iſtius regni de manu hujus: — ſed auferens de manu filii ejus dabo tibi ex illo decem tribus; filio autem ejus dabo tribum unam,* 1 Reg. XI, 3, & *35*. Ablatis decem tribubus, remanent duæ, ſicut etiam reapſe duæ generi Davidico & poſteris Salomonis remanſerunt, nempe Iuda & Benjamin, quemadmodum conſtat, quin etiam disertè enunciat Scriptura II Chron. XI, *1 & 12*. Nihilominus dicitur 1 Reg. XII, *20*: *Nemo ſequutus eſt domum Davidis, præter tribum Iudæ ſolam.* Mox autem ſubjicitur, *venit Rehabeam Jeroſolymas, & congregavit omnem domum Iudæ & tribum Benjamin.* Nempe tribus Iudæ potentiâ & multitudine eminebat, ut ſolarem conficere videretur; & alte-

 ram

ram cladibus, quæ sub finem libri Iudicum memorantur, valdè imminutam suo ambitu quasi continebat vel includebat.

XCVII. Ieroboam autem veritus, ne occasione sacrorum & sacrificiorum Ierosolymis celebrandorum animus populi familiæ Davidis reconciliaretur, *fecit duos vitulos aureos, & edixit, Ecce dii tui ô Israël, qui eduxerunt te è terrâ AEgypti. Horum unum posuit Bethele, alterum verò Dane. Et struxit domum excelsorum, & fecit sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. Et constituit festum festo in Iudâ celebrari solito simile, mense octavo, die decimoquinto ejus mensis, quem commentus fuerat animo suo,* 1 Reg. XII, *26* & seqq. Quum igitur illo die Bethele festum celebraret Ieroboam, & ad adolendum altari adstaret, ecce vir Dei veniens è Iudâ clamavit contra altare illud; & quale ei exitium per Iosiam Regem Iudæ immineret prædixit: addito miraculo, quo findebatur altare, & effundebatur cinis ejus: restitutâ quoque Ieroboamo manu suâ, quæ ex quo eam extenderat & virum Dei prehendi jusserat, exaruerat. Quum autem viro illi à Deo esset injunctum, ne Bethelem commorando vel cibum potumque sumendo honoraret, sed ubi quod mandatum fuerat, peregisset, è vestigio abiret: nihilominus passus est se ab alio propheta, qui Bethele habitabat, decipi; ea propter à leone occisus, & Bethele sepultus, quemadmodum ista 1 Reg. XIII commemorantur, additurque, etiamsi hæc ita gesta essent, Ieroboamum tamen *à viâ suâ mala reversum non esse.* Annotat posterior Chronicorum, hinc factum esse, ut sacerdotes & Levitæ ex universo Israële ad Rehabahamum se contulerint, & *relinquentes suburbana & possessiones suas transierint ad Iudam & Ierusalem, quum rejiceret eos Ieroboam & filii ejus, ne sacerdotio fun-*

a Chro. 11, 13 & seqq.

tio fungerentur Domino; statuereq́ sibi sacerdotes pro excelsis & pro dæmonibus & pro vitulis, quos fecerat. Et sequuti illos ex omnibus tribubus Israëlis, qui dedebant cor suum adquærendum Dominum Deum Israëlis, venerunt Ierusalem ad sacrificandum Domino Deo patrum suorum. Hinc itaque regno Iudæ non modicum robur & augmentum accessit.

XCIIX. Exstincta verò est & funditus excisa stirps Ieroboami: cui tamen successerunt reges nihilo meliores, inter quos primas facilè obtinuit Achab, filius Homri conditoris Samariæ, qui uxorem duxit Iezabelem filiam regis Sidoniorum, ejusque impulsu coluit Bahalem sive idolum, quod tamquam deum tutelarem habebant Sidonii. Nam *non sufficit ei, ut ambularet in peccatis Ieroboami,* & in cultu aureorum vitulorum subsisteret, *sed abiit & servivit Bahali & adoravit eum:* & *posuit altare Bahali in templo Bahalis, quod exstruxerat Samariæ, & plantavit lucum, irritans Dominum Deum Israël ampliùs, quàm omnes alii reges, qui fuerant ante eum.* Hæc leguntur 1 Reg. XVI, *40 & seqq.* Successores habuit filios duos, alium post alium, nempe Achaziæ, qui solo biennio regnavit, ambulans in viâ parentum suorum & colens Bahalem, (1 Reg. XXII, *53*) successit frater Iehoram; qui *abstulit quidem statuam Bahalis à patre factam, peccatis tamen Ieroboami, quibus ad peccandum induxerat Israëlem, adhæsit,* II Reg. III, *2.*

XCIX. Hunc itaque Iehoramum sive Ioramum, (nec non Achaziam regem Iudæ, Iosaphati regis pii nepotem, Achabi familiæ affinitate conjunctum, & per eam seductum) interfecit Iehu, & in regno Israëlis successit, quo etiam post eum juxta Domini verbum & promissum potiti sunt filius, nepos, pronepos & abnepos. Fuit enim à Domino delectus & unctus, ut exscinderet domum Achabi, & ulcisceretur necem pro-

pheta-

phetarum & servorum Domini, II Reg. IX, *6* & seqq. Bahalis quoque cultum penitus sustulit, cultores interfecit, statuas & ædem destruxit, imò in latrinas redegit. *Verumtamen à peccatis Ieroboami, quibus peccare fecit Israëlem, non recessit, nec deseruit vitulos aureos, qui erant in Bethel & in Dan,* II Reg. X, *29*. Et mox iterum: *Non observavit ut ambularet in lege Domini Dei Israëlis ex toto corde suo: non enim recessit à peccatis Ieroboami, quibus peccare fecerat Israëlem.* Pari modo se gesserunt quatuor ex eo descendentes reges successores. Adeo eorum animis videtur infixum fuisse, redituras ad familiam Davidis separatas pridem tribus, nisi sacris alibi, quàm in Ierusalem, celebrandis distraherentur. Vltimum ex stirpe Iehu Zachariam occidit Schallum; qui, quum mensem regnasset, interfectus est à Menahemo, solo inter hos postremos reges siccâ morte defuncto. Filius enim ejus Pekachiah, qui Vulgato dicitur Phaceja, à successore Pekacho interemtus est, & hic vicissim ab Hoschea: ut ita aliquamdiu præcedentis regicidii quasi præmium fuerit devolutum ad regicidam regnum. Hoschea verò à Salmanassare rege Assyriæ sub tributum redactus, & interim cum rege Aegypti conspirare deprehensus, post captam triennali obsidione Samariam in vincula conjectus & unà cum populo decem tribuum in Assyriam deportatus est. Ita deletum est regnum Israëliticum sive decem tribuum, quum durasset annos ducentos, quinquaginta & quatuor, regnatumque esset à regibus viginti, inter quos facilè pessimus Achab, optimus verò, quamquam non sine magnâ labe, Iehu. Historia & caussæ exitii narrantur II Regum XVII; & inter cæteras, *quòd*
vers. 15. *sprevissent sive abjecissent fœdus Domini, quod pepigerat cum majoribus ipsorum.*

C. Mi-

C. Mirum verò est tot tantorumque prophetarum adeo serias admonitiones & diras prædictiones fere omnes frustra fuisse, nec Ieroboamum vel per Achiam Silonitem, vel per prophetam, qui Bethele vaticinabatur & miracula operabatur, ad saniorem mentem & veram pœnitentiam traduci potuisse. Achabus tum ab aliis prophetis tum ab omnium maximo Elia sæpe fuit monitus, reprehensus & castigatus; ad seriam tamen pietatem & probitatem adduci non potuit, ne quidem miraculo incensæ cœlitus victimæ, I Reg. XIIX. Ab hoc Elia in cælos jam adsumto ad Ioramum Iosaphati filium, regem Iudæ, affinitate familiæ Achabicæ corruptum venerunt literæ, II Chron. XXI, 12. *De cælo* venisse addit Seder olam Rabba cap. XVII. At Iosephus cum Scripturâ dixisse contentus, κομίζεται παρ' Ηλίου τοῦ προφήτου ἐπιστολὴ, *affertur ab Eliâ propheta epistola*; argumento ejus juxta Scripturam recitato subjicit, Ταῦτα μὲν ἐδήλου διὰ τῆς ἐπιστολῆς ὁ Ηλίας, *Hæc per epistolam indicavit Elias*: Antiquit. IX, cap. II. Theodoretus dicit: οὐκ αὐτὸς ὁ προφήτης ἀφίκετο, διὰ γραμμάτων δὲ μεμήνυκε τὴν θείαν ἀπόφασιν. *Non accessit ipse propheta, sed per literas divinam sententiam significavit.* Quæst. in 2 Paralip. Probabile est Eliam futurorum gnarum, priusquam in cœlum tolleretur, epistolam prophetæ cuidam, suo tempore reddendam, commisisse; eamque tunc, quum res exposceret, redditam esse. Sed hoc obiter.

CI. Elisæus verò successor Eliæ divinitus destinatus, I Reg. XIX, *16*; qui *infuderat aquam manibus Eliæ*, sive ei ministraverat, II Reg. III, *11*; & tamquam primogenitus vel inter discipulos primus duplam spiritus Eliæ portionem præ aliis condiscipulis acceperat, II Reg. II, *9*; satis notus fuit Iehoramo Achabi filio; inprimis Iehu regi, ejusque filio Iehoachazo, & nepoti Ioascho, à quo

O morti

morti vicinus idem audivit elogium, quo ipse pridem Eliam in cœlos euntem prosequutus fuerat, *Pater mi, Pater mi, currus Israëlis & equites ejus*, II Reg. XIII, *14*: id est, in te sita hactenus fuit munitio & defensio Israëlis, ut ad eam contuleris, quantum conferre possint ulli vel currus vel equites. Et sanè inter prophetas istorum temporum eminuerunt Elias & Elisæus. Quanta aliàs fuerit frequentia & quantus numerus prophetarum, testatur historia Regum. Quum necandis illis indefessam operam daret impia Iezabel, Hobadia vel Abdias, qui Achabo erat à præfecturà domus, Deum timens, in duabus speluncis centum viros occultavit & sustentavit, I Reg. XIIX, *4*. Filii prophetarum, qui subinde memorantur, videntur fuisse juvenes, meditationum & precum exercitiis ad recipiendum spiritum propheticum se præparantes. Videntur etiam uniti societates iniisse, & quasi collegia instituisse. Agebant Bethele; agebant etiam Ierichunte, & quum sublatus esset Elias, quinquaginta viros miserunt, qui eum quærerent, II Reg. II, *3* & *16*. Gilgale filii prophetarum in populum centum virorum excreverant, II Reg. IV, *43*. Quum locus, quo considebant, angustior esset, quàm ut eos caperet, eunt in silvam ripæ Iordanis contiguam ad cædenda ligna, è quibus exstruerent sibi capacius tugurium, II Reg. VI, I & seqq.

CII. Mirum autem est Achabum congregare potuisse circiter quadringentos viros, qui quum pseudoprophetæ essent, prophetas tamen Domini se simularent, & fallacia vaticinia, tamquam à Domino profecta, ederent, I Reg. XXII, *6*, *11*, *12*, *24*. Adde II Chron. IIX. Vt ita ab improbo spiritu seducerentur, & falsis eorum promissis Achab, quemadmodum meritus erat, in exi-

in exitium præcipitaretur, permisit Dominus: quod ut permitteret, & non impediret, peccata Achabi Deique justitia exigebant. Iudicium autem Domini, non reapse quidem ita peractum, sed visione quadam propheticâ adumbratum proponit Michæas propheta, filius Imlai, ut pro captu humano, quid enormia peccata mereantur, ostendat. Deus, inquam, Michææ revelaverat fore, ut à pseudoprophetis mendace spiritu inflatis deciperetur Achab; nec spiritus iste mendax decipere prohiberetur, sed permitteretur, justo Dei judicio. Hanc sibi factam revelationem judiciique quamdam ὑποτύπωσιν hominibus, ut eò faciliùs capiant & animis suis imprimant, juxta morem inter homines usitatum poponit Michæas. Aliàs reapse nulli solio Deus, utpote incorporeus, insidet; nec consultat vel deliberat, multò minus quemquam, nedum mendacem spiritum, interrogat, quid in animo habeat, vel audit quid consilii suggerat. Ταῦτα δὲ προσωποποιΐα τίς ἐστι, διδάσκουσα τὴν θείαν συγχώρησιν. *Hæc est quædam fictio personarum, quæ doc[e]t divinam permissionem*, ut lòquitur Theodoretus. Quomodo enim Deus auctor fuerit deceptionis, qui per Michæam disertè pronunciari fecit: Quæst. 68. in 3 Reg. *Vidi universos Israëlitas dispersos per montes sicut oves, quibus non est pastor. Et dixit Dominus, Non est istis dominus* vel dux; 2 Reg. 22, 17. *revertatur unusquisque domum suam in pace.* Quum autem indignaretur & hanc veracem à Domino profectam prædictionem iniquo animo exciperet Achab, orditur propheta alteram concionem, quâ per typum, quem homines capiant, exponit, quomodo justo Dei judicio, qui veritatem divinitus revelatam repudiet, à spiritibus mendacibus ad decipiendum promtis decipi permittatur. *Propterea*, inquit, quia videlicet quod Dominus

prædici facit, & omnino cum animi ſubjectione amplectendum eſſet, non admittis, *audi verbum Domini: Vidi Dominum in ſolio ſedentem*, ſpiritus mendaces ad te fallendum ſe offerentes, alium hoc alium illud proponentes, & tandem, qui efficaciſſimum tui decipiendi medium, nempe ſe futurum *ſpiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum*, proponeret, veniam ita agendi ſive permiſſionem à Deo impetraſſe. Mendacii & impoſturæ auctorem eſſe, ſummæ Dei perfectioni & bonitati ſimpliciter repugnat; ſed quia præſtò ſunt qui mentiendi & fallendi operam lubentes obeant, permittit fieri, quod impedire poſſet, atque adeo etiam impediret, niſi improbitas Achabi obſtaret. Dicitur igitur indere vel immittere ſpiritum mendacii, quòd ingredi promtum non impedit aut prohibet. Et hoc ipſum, quòd Deus ob graviſſimas cauſſas non prohibet, quum prohibere adeo facilè poſſet, in oculis hominum appáret, quaſi Deus juberet. Nec minùs effectum ſortitur, quàm ſi Deus præcepiſſet. Nec patitur contextus aut rerum & verborum cohærentia, ut aliter quàm de permiſſione, ſed quæ ob cauſſas graviſſimas & juſſiſtimo judicio fiat,
Verſ.23 accipiantur illa, quæ ſubjiciuntur: *Et nunc* rebus tuis ita ſe habentibus, & improbitate ac pertinaciâ tuâ ita promerentibus, *ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium vatum tuorum iſtorum: &* quamvis omnes iſti læta promittant, *Dominus* tamen *loquutus eſt contra te malum.* Dominum contra Achabum loqui malum, & indere ori prophetarum Achabi ſpiritum, qui bona promittat; hæc duo, inquam, ita invicem pugnant, ut poſterius de permiſſione, juſtè videlicet factâ, neceſſariò ſit accipiendum. Rectè itaque Theodoretus: Τοῦτο γίνεται τοῦ θεοῦ συγχωρήσαντος· κωλῦσαι γὰρ δυνάμενος οὐκ ἐκώλυσεν, ἐπεί-

περ

περ ὁ Ἀχαὰβ τῆς θείας ἦν κηδεμονίας ἀνάξιος. *Hoc fit Deo permittente. nam quum prohibere posset, non prohibuit, quoniam Achab indignus erat, cujus curam Deus gereret.* Repetit Procopius Gazæus commentario in hunc locum, & addit: *Visiones sunt explicationes consilii Dei: non quòd ipse id, quòd est,* sive quemadmodum judicium divinum reapse suaque naturâ se habet, *ostendat, sed corporeis figuris & humano more effictis sermonibus exprimit & describit Dei dispensationem. — Visione enim & verba in visionibus sunt pars quædam condescensionis Dei, quâ se ad captum nostrum demittit.* Subjungemus, quomodo accipiat & exponat Augustinus libro ad Simplicianum secundo, quæstione ultimâ. *De spiritu*, inquit, *mendacii, per quem deceptus est Achab, hoc intelligamus, Deum omnipotentem & justum distributorem pœnarum præmiorumq; pro meritis, non solùm bonis & sanctis ministris uti ad opera congrua, sed etiam malis ad opera digna; quum illi pro suâ perversitate nocere appetant, sinantur autem tantum, quantum ille judicat, qui omnia in mensurâ & pondere & numero disponit. Dixit autem hoc Micheas propheta, quomodo sibi fuerit demonstratum. Occulta enim res & nimis secreta ita demonstratur prophetis, sicut potest capere sensus humanus, quum etiam rerum imaginibus in revelationibus tanquam verbis instruitur.* Hactenus Augustinus.

CIII. Verba apud Iezechielem XIV, 9, *Quum seductus fuerit propheta, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus seduxi prophetam illum;* quæ non minùs durè sonant, quàm priora, ad eumdem modum accipit & interpretatur idem, qui suprà, Theodoretus. Iuxta quem *non dicit Dominus, se secundum efficientiam prophetam seducere, sed secundum permissionem.* οὐ κατ' ἐνέργειαν λέγει τὸν προφήτην πλανᾷν, ἀλλὰ κατὰ συγχώρησιν. Nempe quando peccata hominū eò usque excrescunt, ut justo Dei judicio pœnâ affici o-

porteat, sive peccatores improbitate & pervicaciâ suâ semetipsos præcipitent, sive præstò sint, qui numquam desunt, vel mali homines ad tribulationes inferendas parati, vel dæmones promti ut decipiant & in laqueos conjiciant; tum quidquid vel ipsi peccatores suâ temeritate sibi accersunt, vel homines tribulando vel dæmones fallendo inferunt, actioni & efficientiæ divinæ imputatur, etiamsi secundum se non sit nisi permissio. Quoniam enim ejusmodi permissio fit exigentibus peccatis & prævio justo judicio, ideo quod vi judicii & permissionis judicio factæ peragitur, quasi Deus ipse ageret, habetur. Sic dicitur indurare cor Pharaonis, Ex. IV, 2; VII, 3; IX, *12*: Sichonis regis in Hesbon, Deut. II, *30*: immittere spiritum malum inter Abimelechum & Sichemitas, Iud. IX, 23: accipere uxores Davidis ante oculos ejus, & tradere proximo, & facere rem istam in conspectu totius Israëlis, & in conspectu solis, II Sam. XII, *11* & *12*: præcepisse Semei, ut malediceret Davidi, II Sam. XVI, *11*: miscere in medio Aegypti spiritum perversitatum, Ies. XIX, *14*: decipiendo decepisse populum istum & Ierusalem, dicendo, Pax erit vobis, Ier. IV, *10*: tradere gentiles cupiditatibus cordium ipsorum, & in mentem omnis judicii expertem, Rom. I, 24 & 28: mittere non recipientibus amorem veritatis, efficaciam erroris, ut credant mendacio, II Thess. II, *11*. Hæc, ut rectè intelligantur verba Michææ prophetæ, quæ difficultate carere non videntur, & alia eorum similia, hîc inserenda duximus.

2 Reg. 17. 24. CIV. Deportatis à Rege Assyriæ Israëlitis substituti sunt, ne terra ab incolis vacua relinqueretur, coloni alienigenæ è variis gentibus idolorum cultui unicè addictis: quos quum Deus immissis leonibus castigasset, cœperunt idololatriæ suæ cultum veri Dei adjungere.

Nihi-

Nihilominus post solutam captivitatem Babylonicam, quum à Cyro permissum esset templum restaurari, accesserunt ad Zerubabelem & Iosuam sacerdotem, ausi dicere, *Aedificemus vobiscum: nam sicut vos requisituri sumus Deum vestrum: non enim alteri sacrificamus inde à diebus Esarhaddonis* (ita appellatur filius Salmanassaris II Reg. XIX, 37) *qui deduxit nos huc*, Hezræ IV, 12. Repulsam verò passi multa turbarunt & structuram impediverunt. Iosephus Antiquitatum XI, cap. IV rem in hunc modum commemorat: *Samaritæ quum cognovissent, quòd Iudæi è captivitate Babylonicâ postliminio reversi templum instaurarent, adeunt Zorobabelem ac Jesum Principesq; cognationum, postulantes ut eos admitterent ad templum communi sumtu ædificandum. Nam se quoq; ajebant eundem Deum colere, & ejus gloriari nomine, religionisq; ejus studiosos fuisse, jam inde ab illo tempore quo Salmanassar Assyriorum rex è Chuthiâ & Mediâ gentem eam in loca illa transtulerat. Ad quæ postulata illi de communi sententiâ responderunt, ad simul ædificandum eos admitti non posse, quum & prius Cyrus & nunc Darius ipsos ædificare jusserint: licere tamen eis ibi adorare. idq; facere vetari eorum neminem, ac ne cæterarum quidem gentium quemquam, quum omnibus hominibus eò venientibus templum ad adorandum pateat. His auditis Chuthæi, sic enim nos Samaritas appellamus, indignè tulerunt.* Appellabantur autem Chuthæi, quòd à Persidis regione Chutho & flumine ejusdem nominis essent traducti, ut tradit idem Iosephus Ant. IX, cap. ult. Dubium autem non est, quin tandem gentilem idololatriam dedidicerint, & cum Iudæis eundem Deum coluerint. Propter alias tamen caussas & præsertim de loco, *ubi oporteret adorare*, sive externum cultum Deo præstare, controversiæ erant & inimicitiæ. Neque destituebantur notitiâ & spe venturi Messiæ, sicut datur intelligi ex Ioh. IV, 25, 29.

25,29,42. Ptolemæus Lagi multos tum ex Iudæâ, *tum ex Samariâ & Garizin monte in Aegyptum traduxit, eisq; apud Alexandriam jus civitatis pari cum Macedonibus jure dedit. — Seditiones tamen continuæ fuerunt inter Iudæorum posteros & Samaritas instituta patria pervicaciter retinentes: pugnabantq; inter se jugiter, dum Hierosolymitani suum templum sacrosanctum esse affirmant, & victimas à Judæis non alio mittendas: Samaritæ contra in montem Garizin eas mitti debere contendunt.* Hæc Iosephus Antiq. XII, cap. I. Samaritarum horum reliquiæ etiamnum hodie superesse perhibentur. Nescio quantum fidei mereatur Geographus Nubiensis, qui ante annos quingentos vixit, & Parte quintâ climatis secundi scripsit inter insulas maris Erythræi esse *insulam Sámeri, quam colant populi Iudæi Samaritani, quorum tessera sit, ut dicat quis ex ipsis, quum aliquem offenderit, Lámesas,* id est, Ne attingas. Certè quæ subjungit, inepta sunt & vana, nempe, *Hac dictione deprehenduntur esse ex Iudæis, qui descendunt ex Sámeri autore vituli tempore Mosis, cui salus.* Ita ex Arabico verterunt Gabriel Sionita & Ioannes Hezronita, Maronitæ. Iosephus autem Scaliger aliquanto rectiùs, nisi fallor: *Insulam Samaritanorum incolunt quidam Iudæi Samaritæ. Argumento est, quòd unusquisque eorum dicat, quoties aliquis applicat se ad eos, Ne attingas. Et hoc quidem sermone cognoscitur, quòd ipsi sint ex iis Iudæis, qui cognominantur Samaritæ complices vituli in seculo Mosis, super quem sit pax.* Haut multò saniora vel verosimiliora sunt, quæ de iis in suo Itinerario scribit Benjamin Tudelensis, auctor priori propemodum coætaneus. Et hæc nunc in occasione de Samaritis sufficiant.

7 de emendat. temp.

CV. Regnum Iudæ diuturnius fuit Samaritano; regnatum à nonnullis regibus ab insigni pietate commendatis, ut Asâ, qui pronepos erat Salomonis, & pater Io-

ter Iosaphati, regis itidem pii. Verumtamen *excelsa non sunt amota: adhuc populus sacrificabat & adolebat in excelsis*, regnante tum Asâ, tum Iosaphato, ut de illo affirmatur I Reg. XV, *14*; de isto, XXII, *44*. Antequam à Salomone exstrueretur templum, *sacrificabat populus in excelsis. Amabat* quidem *Salomo Dominum, ambulando in statutis Davidis patris sui: tantùm in excelsis ipse sacrificabat & adolebat*, II Reg. III, *2 & 3*. Quod tamen tempora ante structuram templi concernit. Sed etiam post exstructum templum, inveteratum in excelsis Domino sacrificandi morem sub piis regibus Dominus toleravit. Quod enim de Asa & Iosaphato, idem de Ioaso, ejusque filio Amazia, nepote Azaria, qui & Huzzia, & pronepote Iothane memoratur II Reg. XII, *3*; XIV, *4*; XV, *4 & 35*. Tale sine dubio erat in monte Carmelo *altare Domini dirutum* regnante impio Achabo, quod refici curavit Elias, I Reg. XIIX, *30*; & in eo sacrificium Deo obtulit, demisso cœlitus igne absumtum & approbatum. Mireris fortè de Asâ ejusque filio Iosaphato dici, sicut ex priore Regum jam produximus, idemque confirmari de Asâ II Chron. XV, *17*, *Excelsa quidem non amota sunt ex Israële, sed animus Asæ fuit integer omnibus diebus ejus*; & de Iosaphato XX, *32*, *Ambulavit in viâ patris sui Asæ, neque recessit ab eâ, faciendo quod rectum est in oculis Domini, verumtamen excelsa non sunt amota*: & nihilominus de Asâ scribi, XIV, *5*, *Amovit ab omnibus civitatibus Judæ excelsa & simulacra*; de Iosaphato XVII, *6*, *Amovit excelsa & lucos ex Iuda*. Sed facilis est solutio: nempe amota fuisse excelsa idolis consecrata; relicta verò illa, in quibus Domino Deo sacrificium offerretur. Sic de temporibus ad rectam mentem conversi Manassæ XXXIII, *17*, *Adhuc populus sacrificabat in excelsis, verumtamen Domino Deo suo*. Quin de Asa cum limitati-

 one

one sive restrictione pronunciatur, XIV, 3, *Amovit altaria peregrina vel peregrini cultus, & excelsa, & confregit statuas & succidit lucos.* Num reges maximè pii Hiskija sive Ezechias & Iosias simpliciter omnia excelsa aboleverint, an sola idololatrica, in dubio relinquitur. Ad posteriora videntur restringi posse Scripturæ, quæ hac de re loquuntur, II Reg. XIIX, 4; XXIII, 13; II Chron. XXXI, 1; XXXIV, 3 & 4.

CVI. Cæterùm anno sexto optimi regis Ezechiæ capta est metropolis regni Israëlitici Samaria, & decem tribus deportatæ: è quibus tamen haut pauci unà cum Levitarum familiis se regno Iudæ pridem adjunxerant. In quo Ezechiæ parenti successit filius Manasse, patri dissimilimus & maximè impius & improbus, II Reg. XXI: *& quamvis Dominus alloqueretur Manassen & populum ejus, non tamen attenderunt. Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum: ceperuntq; Manassen in latibulis latitantem, & vinctum catenis deduxerunt Babylonem.* In carcere ad saniorem mentem redactus egit pœnitentiam & deprecatus est. Dominus igitur ejus misertus indidit animo regis Assyriorum, ut dimitteret & regno restitueret. Ex quo mores mutavit & emendavit, & amovit ac abolevit, quibus Dominum ad iram provocaverat. Vide II Chron. XXXIII, 10 & seqq. Numerantur anni regni ejus quinquaginta quinque: ad quantam summam nullius vel Ierosolymitani vel Israëlitici regis anni adscendunt. Nepos ejus Iosias singulari pietate studioque & fervore Deum colendi eminuit: quum tamen bello contra Neconem, quem Necum vocat Herodotus, regem Aegypti temerè se immisceret, sagittâ ictus & à servis Ierusalemum relatus obiit. Quod contractiùs & per compendium narratur II Reg. XXIII, 29: prolixiùs autem &

Lib. 2 sub finem.

tem &

tem & distinctiùs II Chron. xxxv, *20* & seqq. Quod itaque dicit Deus, *Faciam ut aggregeris ad sepulcra tua in pace*, II Reg. XXII, *20*; II Chron. XXXIV, *28*: id de statu regni quieti & nullis hucusque bellis lacessiti accipiendum erit. Neconi enim cum Iosiâ nihil erat controversiæ: quin per legatos hortabatur & precabatur, ne se immisceret. Iosias tamen ivit contra Neconem in prælium, *mutavit & dissimulavit*, II Chron. xxxv, *2* & *22*. Defuncto itaque Iosia regnum ejus pace aliquantisper frui permisit Neco, inimicitias & bellum jam antè quoque aversatus. Quamquam tranquillitas illa non fuit diuturna.

CVII. Filii enim & successores Iosiæ à pietate paternâ prorsus degenerarunt, pœnasque & captivitatem, quam pridem sub majoribus eorum promeritus erat populus, flagitiis suis accelerarunt. Iehoachaz Iosiæ filius, à populo constitutus rex, post tres menses à Necone captivus in Aegyptum, ubi mortuus est, abducitur. Eum Ieremias Schallum appellat, quum scribit XXII, *11*: *Sic ait Dominus de Schallumo, filio Josiæ regis Judæ, qui regnabat loco Iosiæ patris sui, qui egressus est è loco hoc: non est reversurus eò amplius: sed in loco, quò deportaverunt eum, ibi moriturus est, & terram hanc non videbit amplius.* Successorem habuit fratrem suum Eliakimum, quem Neco Iehoiakimum appellavit, II Reg. XXIII, *30 & seqq.* II Chron. XXXVI, *1, 2, 3, 4*. Qualem principio regni Iehoiakimi concionem ad sacerdotes & populum in atrio templi habuerit Ieremias propheta, & propterea periculum vitæ incurrerit; quin Vrias propheta juxta verba Ieremiæ prophetans, ex Aegypto, quò profugerat, retractus & à Iehoiakimo occisus fuerit, commemorat Ieremias cap. XXVI. Iehoiakim itaque quum *impleret* Ierusalem *sanguine innoxio, noluit Dominus parcere*, I Reg. XXIV, *4*. Quin volumen à Iere-

P 2 mia

mia dictatum & à Barucho scriptum, quo ad resipiscentiam exstimulabatur, in ignem conjecit anno regni sui quinto: Ieremiam quoque & Baruchum capi jussit, sed abscondit eos Dominus. Hæc omnia Ier. XXXVI.

CLIX. Quum autem bellum esset inter reges Aegypti & Babyloniæ, Pharaonem Neconem & Nebucadnezarem (copiæ Neconis, *quæ fuerunt juxta flumen Euphratis ad Carcemischum*, à Nebucadnezare cæsæ sunt anno quarto Iehoiakimi, Ierem. XLVI, *2*) Iehoiakim ab Aegyptio ad Babylonium, sine dubio coactus, transivit; *cui quum fuisset servus tribus annis, postea aversus rebellavit contra eum:* immissæ itaque sunt in Iudæam turmæ *Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum & Ammonitarum,* II Reg. XXIV, *1 & 2.* II Chron. XXXVI, *6* in hunc modum narratur: *Contra eum adscendit Nebucadnezar rex Babel, & vinxit eum æreis compedibus, ut abduceret Babylonem.* Non videtur tamen abduxisse, quum in Ierusalem undecim annis regnasse dicatur. Et de sepulturâ ejus Ieremias XXII, *18: Non plangent eum, Heu frater mi, aut heu soror. Sepulturâ asini sepelietur, tractus & projectus extra portas Ierusalem.* Ierusalemi itaque mortuus est: & quidem, ut tradit Iosephus, à Nebucadnezare, qui suspectum haberet, interfectus. *Cadaver ejus* (ait iterum Ieremias XXXVI, *30*) *projicietur æstui diurno, & gelu nocturno.* Cæterùm Daniel, unà cum tribus suis sociis Babylonem tunc fuit abductus: quâ de re sub initium Danielis agitur hisce verbis: *Anno tertio regni Iehojakim regis Judæ venit Nebucadnezar rex Babel Jerusalemum, & obsedit eam: & dedit Dominus in manum ejus Iehojakim regem Iudæ, & partem vasorum domus Dei, &c.* Tribus hisce Scripturæ locis servitus & captivitas, quæ à Nebucadnezare Iudæis sub eorum rege Iehoiakimo illata fuit, commemoratur. Tandem *occumbente Iehojakimo*

Ant. 10, c. 7.

cum-

cum patribus suis non perrexit ultra rex Aegypti procedere de regione suâ, quia ceperat rex Babyloniæ à flumine Aegypti usque ad fluvium Euphratem quidquid fuerat regis Aegypti, II Reg. XXIV, *6 & 7.* Quartus autem annus Iehoiakimi fuit primus Nebucadnezaris, Ier. XXV, *1.*

CIX. Iehoiakimo successit filius Iehoiacin, cujus nomen à nomine parentis ultimis tantùm literis differt.
Nempe patris nomen desinit in קים, filii in כין, qui
apud Matthæum Iechonias appellatur. Hic etiam *fecit*, Matth 1,11.
quod malum videtur in oculis Domini, omnino prout fecerat pater ejus. Regnavit autem non nisi *menses tres*, II Reg. XXIV, *8 & 9.* quibus decem dies addit posterior Chronicorum, paucis rem complexus, XXXVI, *9 & 10.* Per hanc regni brevitatem fit, ut patri ejus divinitus fuerit prædictum, *Non erit tibi sedens in solio Davidis*, Ierem. XXXVI, *30.* Qui enim nec diutiùs nec firmiùs sedet, non sedere
meritò censetur. Iosephus proponit hoc modo: *Babylo-* Ant. 10, c. 4.
nium regem Iechoniæ regnum dedisse statim pœnituit. Metuebat enim ne memor injuriarum & patris occisi regionem ad deficiendum impelleret. Misso igitur exercitu Ierosolymis eum obsedit. Sed ad textum posterioris Regum, qui luculentiùs exponit, revertamur. *Eo tempore adscenderunt servi Nebucadnezaris Ierusalemum, ut veniret civitas in obsidionem. Quumq; venisset Nebucadnezar ad civitatem, servis ejus obsidentibus eam; prodiit Iehojacin rex Iudæ ad regem Babyloniæ, ipse cum matre suâ, servi quoq; ejus & præfecti ejus cum aulicis ejus. Et depromtis inde omnibus thesauris domus Domini & thesauris domus regiæ decerpsit omnia instrumenta aurea, quæ fecerat Salomo pro templo Domini. Et deportavit è toto Ierusalemo tum omnes præfectos, tum omnes valentes robore, decies mille captivos, omnesq; fabros lignarios & ferrarios: nihil relictum præter tenuem populum terræ. Deportavit enim Ieochoniam*

niam in Babylonem; & matrem regis & fœminas regis, & aulicos ejus, & potentiores regionis captivos abduxit è Jerusalem in Babyloniam. Omnes quoque viros strenuos septies mille, aliquanto inferioris, ut videtur, conditionis quàm superiores decies mille, *& fabros lignarios ac ferrarios mille, omnes robustos bellatores deduxit rex Babyloniæ captivos in Babyloniam.* Octodecim millia captivorum hîc memorantur numero rotundo, ut appellari solet; neglectis residuis. Et hoc initium solennis illius captivitatis LXX annorum. Quum enim per Ieremiam prophetam edixisset Deus, à se imperium in vicinas omnes gentes Nebucadnezari destinatum esse, Ier. XXVII, 6; & commodiùs habituras quæ se dederent, quàm eas quæ vim opponerent: dedidit se Iechonias, proceresque & populus Ierosolymitanus, & deportati sunt (certè potior & insignior pars deportata fuit) in Babyloniam: inter quos etiam erat Iezechiel propheta. Postquam id ita esset factum, scripsit ad eos Ieremias epistolam, in quâ hæc verba: *Sic ait Dominus exercituũ, Deus Israëlis, omnibus deportatis, quos curavi deportari, è Ierusalem in* Babyloniam: *Aedificate domos & inhabitate, conserite hortos & vescimini fructu eorum. Ducite uxores & gignite filios ac filias; accipite etiam filiis vestris uxores, & filias vestras tradite viris, ut pariant filios filiasq́; & augescite istic ac ne minuamini. Denique quærite prosperitatem istius civitatis, quò deportavi vos, & orate pro eâ Dominum. nam in prosperitate ejus futura est vobis prosperitas. ——Sic ait Dominus, Postquam impleti fuerint in Babel septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos,* sive præstabo vobis *verbum meum bonum, ut reducam vos in locum hunc*, Ierem. XXIX, 4, 5, 6, 7; 10. Dubium igitur esse non potest, quin à deportatione Iechoniæ ineant septuaginta anni decantatæ captivitatis Babylonicæ. Porrò

rò *poſtquam deportaverat Nebucadnezar Jechoniam, proceresq́; Judæ & fabros lignarios & ferrarios è Jeruſalem in Babel*, oſtendit Dominus in viſione Ieremiæ duos calathos, *unum ficuum valde bonarum, alterum valde malarum*; & dixit, *Sicut ficus bonas iſtas, ſic agnoſcam deportatos Judæos, quos emiſi ex hoc loco in terram Chaldæorum, in bonum: & adjiciens oculos meos ad illos in bonum, reducam illos in terram hanc; ubi ædificabo illos ac non demoliar, & plantabo illos, ac non evellam. Nam inditurus ſum illis cor ad cognoſcendum me, me eſſe Dominum, eruntq́ mihi populus, & ego ero illis Deus. Quemadmodum verò ficus iſtas malas, quæ non poſſunt comedi præ pravitate, ita exponam Sedechiam regem Judæ, & proceres ejus & reſiduôs urbis Jeruſalem; etiam eos, qui habitant in terrâ Aegypti: exponam, inquam, eos commotioni in malum apud omnia regna terræ: & mittam in eos gladium, famem ac peſtem, donec conſumti fuerint è terrâ, quam dederam ipſis & majoribus ipſorum*. Hæc omnia Ier.xxiv. Certum igitur eſt, deportatos cum Iechonia, qui extrema non exſpectaverant ſed volentes ſe dediderant, humaniter in Babyloniâ tractatos fuiſſe Quin Iechonias, qui aliàs peſſimus fuerat, diuturnâ calamitate fractus & emendatus ſaniorem mentem ſine dubio induit: unde factum, ut tandem trigeſimoſeptimo anno deportationis ſuæ lætiorem fortunam experiretur. Evilmerodach enim, filius & ſucceſſor Nebucadnezaris, *anno quo regnare cœpit, caput Iechoniæ extulit, educens eum è carcere: cum quo loquutus eſt bonis verbis, & poſuit ſolium ejus ſupra ſolium regum, qui erant ſecum in Babylone. Et mutatis veſtimentis carceris ſui comedebat cibum coram illo jugiter, omnibus diebus vitæ ſuæ*. Ita ſub finem Ieremiæ & poſterioris Regum, iiſdem fere verbis. Caſum Iechoazi in Aegyptum, & Iechoniæ in Babyloniam deportati memorat & ſpecioſè depingit Iezechiel cap. xix.

CX. Iechoniæ abducto substituit Nebucadnezar patruum ejus Matthaniam, mutato nomine Zidkijam vel Sedechiam appellatum; cujus regno tribuuntur undecim anni. Vide II Reg. XXIV, *19* & *20*. Quum autem per Ieremiam seriò hortaretur Dominus, ut Nebucadnezari subjicerentur, sic enim commodiùs habituros; mirum est quàm se in contrarium obstinatos & refractarios præbuerint Sedechias rex & reliquiæ Iudæorum. Aures autem commodabant mendacibus prophetis, qui *Domino non mittente currebant, & ipso non alloquente prophetabant*; à quibus *prodibat contaminatio in totam terram*. De nequitiâ eorum multis Dominus apud Ieremiam XXIII, *9 & seqq.* Item XXVII, *16*: *Sic ait Dominus, Ne auscultetis verbis prophetarum istorum, qui prophetant vobis dicendo, Ecce vasa domus Domini reducentur ex Babyloniâ jam mox: nam falsum isti prophetant vobis. Ne auscultetis eis; servite regi Babyloniæ, ita vivite.* Quin Chanania pseudopropheta in ipso templo ante oculos sacerdotum & totius populi ausus fuit pronunciare, *Sic ait Dominus exercituum, Deus Israelis: Intra biennium ego reducam in locum hunc omnia vasa domus Domini: etiam Iechoniam & omnes deportatos Judæ ego reducam in locum hunc.* Vectem quoque, quem collo gerebat Ieremias in signum jugi, quod impositurus esset Nebucadnezar, publicè confregit. Sed juxta verbum Domini à Ieremia prolatum in pœnam mendacii post duos menses mortem obiit. Hæc Ieremias cap. XXIIX. Quum autem adversaretur Sedechias Nebucadnezari, & tandem planè *rebellaret, factum est anno nono regni ejus, mense decimo, die decimo, ut adveniens Nebucadnezar cum omnibus copiis suis contra Ierusalem, castra poneret juxta eam, & exstrueret contra eam propugnacula undequaque. Sic venit civitas in obsidionem usque ad Sedechiæ annum undeci-*

decimum? cujus mense quarto die decimo perrupta est civitas. Ita II Reg. XXV, & Ier. LII; utrobique sub initium capitum. Duravit igitur obsidio annum & sex menses.

CXI. Mirum, quantas interea populus calamitates, & Ieremias jussu Domini monens, terrens, prædicens, adversitates pertulerit. Misit ad eum Sedechias nuncios exploratum, quænam de ipso & populo sententia esset Domini; & responsum accepit, Sedechiam omnino tradendum esse in manum Nebucadnezaris: de populo verò, *Ecce ego, ait Dominus, propono vobis viam vitæ & viam mortis. Qui desidebit in civitate hac, morietur gladio, aut fame, aut peste: qui autem egressus desecerit ad Chaldæos, qui obsident vos, utique vivet, eritq; ipsi anima sua loco spolii.* Hæc Ier. XXI. Egressæ verò sunt copiæ Pharaonis ex Aegypto, ut suppetias ferrent Ierusalemo & Iudæis: *& audientes Chaldæi, qui obsidebant Ierusalemum, famam de illis, abierunt* eis in occursum. Ieremias, qui hactenus liberè versabatur in medio populi, nec custodiæ traditus erat, per nuncios à rege Sedechia consultus respondet, *Ecce copiæ Pharaonis egressæ vobis in auxilium, revertentur in terram suam in Aegyptū: & reversi Chaldæi oppugnabunt civitatem hanc, & captam comburent igne.* Ier. XXXVII, 5 *& seqq.* Sedechias quidē & populus in angustiis positi inierant fœdus, ut anno septimo sive sabbatico *dimitteret quisque servum suum & ancillam suam Hebræum Hebræamq; liberos*, quemadmodum in lege suâ Deus per Mosen præceperat. Exod. 21, 2. Deut. 15, 12. Idque hactenus præstare cœperant, sed abeunte exercitu Chaldæorum revocarunt dimissos in pristinam servitutem. Audiunt igitur à Domino per Ieremiam: *Quia vos non ausculta stis mihi, ut promulgaret unusquisque libertatem fratri suo & socio suo; ecce ego contra vos promulgo libertatem gladio, pesti & fami. Tra-*

dim enim homines istos, qui transgressi sunt fœdus meum, & non præstiterunt verba fœderis, quod pepigerunt coram me, quando transiverunt inter dimidiatas partes vituli, quem in duo dissecuerant; tradam, inquam, eos in manum inimicorum suorum: etiam Sedechiam regem & principes ejus tradam in manum quærentium animam eorum; in manum, inquam, copiarum regis Babyloniæ, quæ discesserunt à vobis. Ecce ego mandaturus sum, dicit Dominus, & revocaturus eas contra civitatem hanc, ut oppugnent eam, & captam comburant igne. Lege Ier. XXXIV, 8 & deinceps.

CXII. Circa idem tempus, digresso exercitu Chaldæorum, conatus est Ieremias se subducere, & in terram Beniaminis conferre: sed in portâ deprehensus & accusatus transfugii ad Chaldæos, à proceribus mulctatur verberibus, & in tetrum carcerem, qui in domo Ionathanis scribæ aptatus erat, detruditur. Ibi mansit diebus multis, donec tandem evocatum in domum regiam Sedechias de sententiâ Domini secretò interrogaret: quam quum prioribus conformem proferret, impetravit nihilominus ab illo, ut non cogeretur reverti in domum Ionathanis scribæ, sed poneretur in atrio custodiæ sive in vestibulo carceris. Ierem. XXXVII. Quum autem pergeret minari & prædicere, quæ solitus erat, proceres regem adierunt, & postularunt ut supplicio afficeretur. Respondit rex, *Ecce est in manu vestra: nam non is est rex, qui possit contra vos quidquam.* Accipientes itaque Ieremiam conjecerunt in foveam, in quâ nulla erat aqua, sed lutum, in quo miserè pereundum fuisset, nisi subvenisset Hebedmelec Aethiops, aulicus, qui adsentiente rege è foveâ adhibitis funibus & veteramentis ad axillas suppositis extraxit, & in vestibulo carceris iterum collocavit. Inde accersitum Sedechias rex prope ingressum

tem-

templi denuò de ſententiâ Domini ſecretò interrogavit, & accepit reſponſum, *Sic dicit Dominus Deus exercituum, Deus Iſraëlis, Si egreſſus fueris ad principes regis Babyloniæ, utique vivet anima tua, & civitas hæc non comburetur igne: ita vives tu & familia tua. Sin autem non egrediaris, utique tradetur civitas hæc in manum Chaldæorum, qui comburent eam igne; tu verò non eripies te è manu eorum.* Quod colloquium clam proceribus haberi rex Sedechias voluit. Ier. XXXIIX.

CXIII. Etiamſi verò hæc ita ſe haberent, quum tamen poſt conſummatos LXX à deportato Iechonia annos certus eſſet reditus; in hujus rei confirmationem juſſit Dominus Ieremiam in atrio cuſtodiæ poſitum à patruele ſuo agrum Hanathotæ in terrâ Benjaminis ſitum, cujus redimendi jus Ieremiæ competebat, emere. Factum id eſt anno decimo Sedechiæ, & decimooctavo Nebucadnezaris, atque adeo paucis ante πανωλεθρίαν menſibus. Vide Ier. XXXII.

CXIV. Operæ autem precium eſt obſervari, multos cum Iechonia deportatos voluntati divinæ & conſilio per Ieremiam patefacto non acquieviſſe, præſertim quamdiu adhuc urbs & templum ſupereſſent. Quum Ieremias ad deportatos epiſtolam, de quâ ſuprà, ſcripſiſſet, auſus eſt Schemaja ſacerdotibus Ieruſalemi commorantibus non tantùm ejus rei indicium facere, ſed etiam ab illis petere, ut iſthoc nomine Ieremiam caſtigent. Vide Ier. XXIX, 24 & ſeqq. Sicut autem Deus per Ieremiam Iudæorum reliquiis & earum regi Sedechiæ in patriâ adhuc degentibus calamitates & exitium tum verbis tum typis prædici & ob oculos poni fecit; ita quoque per Iezechielem deportatis in Babyloniam exulibus eadem inculcari voluit, ut ipſi quoque ſeriò reſipiſcerent, & exilium patienter ferrent. Iuſſus igitur eſt in la-

 tere ſi-

tere sive planâ tabulâ Ierusalemum deformare, propugnacula & moles contra eam disponere, & tamquam obsideret eam lateri suo sinistro incubare dies trecentos
Iez. 4. 5. nonaginta, *quibus feres*, ait Dominus *iniquitatem domus Israëlis*, diebus annos figurantibus. Sunt enim ab initio Ieroboami sive regni Israëlitici usque ad eversam urbem anni trecenti nonaginta. Deinde *incumbes lateri tuo dextro, ut feras iniquitatem domus Iudæ, quadraginta dies; singulos dies do tibi pro singulis annis*. Respondent, ut existimo, hi quadraginta dies annis, quibus regnarunt Iehojakim & Sedechias, iisque quibus ante resipiscentiam suam impiè agebat Manasse. Conjuncti enim quadraginta facilè conficient. Ita cubans famis quoque, quâ conficiendi essent obsessi Iudæi, typum edere jussus est. Fuit autem illa dira, ex quo repulsis auxiliis Aegyptiis iterata est obsidio. *Patres comedent filios in medio tui*, ait Do-
Cap. 5. v. 10. minus per Iezechielem, & *filii comedent patres suos*. Priusquam caperetur urbs, Dei nomine prædicit & minatur Ieremias XIX, *Faciam ut comedant carnes filiorum suorum & carnes filiarum suarum*. Quum autem capta jam
Thren. 4. 9 & 10. esset, lamentatur, *Melius habuerunt interfecti gladio, quàm interfecti fame. Manus mulierum misericordium coxerunt natos suos: fuerunt eis in cibum, quum contereretur filia populi mei*. De his videri debent Iezechielis cap. IV, V, VI, VII. Fuit autem Iezechiel in spiritu sublatus, & ductus Ierusalemum, & in ipsum templum, ubi non minùs, ac si reapse suoque corpore præsens fuisset, vidit & cognovit ingentem impietatem & idolomaniam Iudæorum post deportatum Iechoniam in urbe relictorum. Lege cap. IIX, IX, X, XI, cujus hæc ultima sunt verba, *Spiritus attollens me reduxit me in Chaldæam ad deportatos, in visione in spiritu Dei* sive per spiritum Dei

oblatâ.

oblatâ. *Et eloquutus sum deportatis omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.* Sicut enim apud Iudæos in patriâ commorantes ministerio Ieremiæ usus fuit Dominus: sic apud deportatos in Chaldæam ministerio Iezechielis, ut hos in officio & obsequio contineret, ad quod post captam & exustam urbem, reapse convicti paullatim, quum incolumitas urbis & templi animis eorum obversari desiisset, adducti sunt. Qui in patriâ, audiebant imminere sibi gladium, pestem & famem: nec impetrari tamen ab iis poterat, ut Nebucadnezari se subderent. Qui verò in Chaldæâ erant monebantur, ut exemplo popularium suorum miserè pereuntium territi divinæ voluntati acquiescerent, exilium æquo animo tolerarent & reditum divinitus promissum certò exspectarent. Quin amplitudo & gloria Ecclesiæ per orbem terrarum diffundendæ typis & figuris insinuabatur.

CXV. Vbi itaque repulsis auxiliaribus Aegyptiorum cohortibus rediit exercitus Babylonius, & obsidionem restauravit, invaluerunt calamitates & fames, cujus paullò antè facta mentio. Nullis autem periculis, nullis vel promissis vel minis induci poterant Sedechias ejusve aulici, ut voluntati divinæ & consilio Ieremiæ obtemperarent, seque Nebucadnezari permitterent. Perrupta igitur est civitas. Quod in Iudæâ Ierusalemo obveniebat, id deportatis in Chaldæâ ob oculos ponere jussus est Iezechiel perfodiendo murum, cœcâ nocte egrediendo, super humerum bajulando: ita enim acturus erat rex Sedechias, & qui cum ipso. *Sed expandam*, ait Dominus, *rete meum contra ipsum, & capietur sagenâ meâ; deducamque eum in terram Chaldæorum, quam non videbit*, quipped excæcatus, *& ibi morietur.* Hæc Iezechielis XII. Ieremias ad ipsum, XXXIV, *3*: *Omnino prehenderis, &* Iez. 12, 13.

In manum Nebucadnezaris traderis, & in Babyloniam pervenies. Verumtamen audi verbum Domini Sedechia rex Judæ: sic ait Dominus de te, Non morieris gladio: in pace morieris, morte naturali, non violentâ, *& juxta combustiones majorum tuorum, regum priorum qui fuerunt ante te, similiter comburent tibi, &* dicentes, *Eheu domine, plangent te:* populares videlicet tui, deportationis socii, quando te sepelient, more patriô (vide II Chron. XVI, 14; XXI, *19*) sepulturæ suffitum & ustiones odoramentorum, nec non usitatum planctum adhibebunt, permittentibus idipsum Chaldæis & deportatos comiter habentibus.

CXVI. Quomodo in manus Nebucadnezaris inciderit Sedechias, narratur II Reg. XXV, & Ieremiæ ultimo. Invalescente fame conati sunt bellatores & rex occultis modis & viis, perrupto in eum finem muro, quemadmodum adumbraverat Iezechiel, effugere. *Sed persequutus regem exercitus Chaldæorum, prehendit eum in campestribus Iericho, quum omnes copiæ ejus dispersæ essent ab eo. Apprehensum itaque deduxerunt ad regem Babylonis in Riblam,* quam Reblatham dicit Vulgatus: *& loquuti sunt cum eo judicium,* sive consideratis & trutinatis ejus perfidiâ &

Vers. 12. periuriis tulerunt de eo sententiam. Iezechiel cap. XVII rem in hunc modum proponit: *Ecce venit rex Babyloniæ Jerusalemum, cujus accipiens regem,* Iechoniam videlicet, *& principes ejus adduxit eos ad se in Babyloniam. Et tulit de semine regio,* nempe patruum amoti regis Sedechiam, *& percussit cum eo fœdus, & adegit eum ad jusjurandum: & potentes terræ sustulit, ut esset regnum humile, nec se efferret, ut custodiret pactum ejus & staret in illo. Sed rebellavit contra eum mittendo nuncios suos in Aegyptum, ut darentur sibi equi, & populus multus. num prosperabitur? num evadet qui facit hæc? & qui irritum reddidit pactum, effugiet? Vivo ego, dicit Dominus*

nus Deus, nisi in loco sive regno *regis, qui regnare fecit ipsum; cujus sprevit juramentum & cujus pactum violavit, apud eum in medio Babyloniæ morietur.* Sed legatur textus ipsius prophetæ. Dubium autem esse non potest, quum de rege Sedechia haberetur judicium & ferretur sententia, in eum tamquam rebellem, fœdifragum & periurum latam esse. Coram oculis itaque suis filios suos jugulari vidit, & quum id integris atque sanis vidisset, mox iis cœcitatem intulerunt, & vinctum æreis compedibus in Babyloniam deduxerunt.

CXVII. Demum decimo nono anno regis Nebucadnezaris, Nebuzar-- Adan præfectus satellitum urbem Ierusalem ingressus combussit templum, quod jam steterat annos CCCCXXVII; anno, antequam nasceretur Christus, IↃXXCIX. Combussit quoque domum regiam, & omnes domus civitatis, & mœnia destruxit. Columnas æreas & quidquid erat vasorum & instrumentorum templi deportavit in Babyloniam, unà cum potiore populo: *tantùm de pauperibus terræ reliquit, qui essent vinitores & fossores.* Certum est, aliquot deportationes 2 Reg 25, 12.
sive emigrationes subiisse Iudæos regnante Nebucadnezare: primam quidem anno tertio Iehojakimi, Dan. 1: 1: alteram, quæ fuit omnium maxima & initium dedit famosissimæ captivitati Babylonicæ, quum abduceretur Iechonias: tertiam, quum capta esset urbs. Tres etiam recenset Ieremias sub finem sui libri, quæ quomodo cum superioribus conjungi aut ab iis disiungi debeant, videtur esse ambiguum. *Anno*, inquit, *septimo Nebucadnezaris deportati sunt Iudæi ter mille, viginti tres.* Ier. 52, 28.
Tempus incidit in ultima Iehoiakimi, quando contra datam fidem defecit, à Nebucadnezare propterea castigatus, quin occisus: & tum deportationem hic memoratam

conti-

contigisse existimo. Sequitur: *Anno decimooctavo deportatæ sunt Jerosolymis animæ octingentæ triginta duæ.* Capiatur pro anno decimooctavo Nebucadnezaris finiente, & pro deportatione, quæ ultimâ expeditione, & urbe captâ contigit. Tandem: *Anno vigesimotertio Nebucadnezaris deportavit Nebuzaradan præfectus satellitum Judæos, animas septingentas quadraginta quinque.* Fuerit quædam racematio, quandoquidem urbs jam ante quadriennium capta & eversa. Si quis commodiùs & rectiùs possit extricare, lubentes auscultabimus. Nos ista hactenus evolvimus, ut appareat operam, quam Deus Iudæis in patriâ per Ieremiam, & in Chaldæâ per Iezechielem præstari voluit, eumdem finem spectasse, sibique invicem respondisse; & ut nonnullæ, quæ occurrunt, ambiguitates & difficultates expediantur.

XXIIX. Nebucadnezarem victoriis & successibus elatum amentiâ vitaque ad morem bestiarum & ferarum per septennium actâ Deus castigavit, donec agnosceret, diceret & scriberet, *Nunc ego Nebucadnezar laudo, extolloq́, & glorifico Regem cœli, quia omnia opera ejus veritas, & viæ ejus judicium; eosq́, qui ambulant in superbiâ, potest dejicere*, Dan. IV, 37. Successit filius Evilmerodach, qui sub initium regni sui Iechoniæ, captivitate XXXVII annorum castigato, & ut verosimilimum est, emendato libertatem & honestissimum in aulâ locum contulit. Ad historiam sacram illustrandam multùm facit fragmentum Berosi, qui genere Chaldæus sub Alexandro Magno & post eum vixit ac scripsit, productum & conservatum à Iosepho Antiq. libro X, cap. XI; quin aliquanto pleniùs & correctiùs priore libro contra Apionem, unde nonnulla depromemus. *Nabuchodonosor*, inquit, *è vitâ migravit, quum regnasset annos tres & quadraginta. Euelmaradochus autem*

autem ejus filius factus est regni dominus, qui quum res iniquè & flagitiosè administraret, insidias passus à marito sororis suæ Neriglissoroore interemtus est, quum regnasset annos duos. Hoc itaque peremto capiens regnum, qui ei insidias struxerat, Neriglissoroor quatuor annos regnavit. Cujus filius Laborosoardochus regnavit quidem puer existens mensibus novem, & quòd moribus nimis pravis esse appareret, ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη, *ab amicis obtruncatus est, fustibus obviisq; lignis oppressus.* Hic igitur ille est, quem Belsazarem vocat Daniel, & nocte luxuriosum & profanum ab eo institutum convivium proximè subsequutâ occisum esse scribit cap. v. Quum autem regnum filii sui nomine gubernaret Neriglissoroor, annus Belsazaris primus & tertius, qui Dan. VII & IIX sub initia capitum memorantur, de regno, quod Belsazaris filii nomine Neriglissoroor pater administraverit, capiendi erunt. Quum dixisset Daniel, *Eadem nocte interfectus est Belsazar rex Chaldæorum*; mox subjungit, *Darius autem Medus accepit regnum natus annos ferme sexaginta duos.* Patrem ejus dicit fuisse Achasveroschum, Assuerum sive Xerxen *è semine Medorum*, IX, I. Nunc superioribus Berosi ea, quæ sequuntur, adjiciemus. Laborosoardocho, qui Danieli Belsazar dicitur (nomina enim apud Chaldæos diversa imponebantur) *peremto, congressi qui ei struxerant insidias, communi suffragio regnum tradidere Nabonido, cuidam Babyloniorum, qui conspirationis erat particeps.* Hic itaque Nabonidus idem, qui Danieli Darius Medus, vel è semine Medorum. *Sub hoc muri Babyloniæ civitatis circa fluvium ex latere cocto & bitumine sunt constructi. Quum autem ad decimum septimum usque annum regnasset, Cyrus è Perside cum magno exercitu egressus, universâ Asia subactâ, impetum fecit in Babylonem. Sentiens autem Nabonidus invasionem ejus, & occurrens cum exercitu suo,*

Cap. 5, 30.

Cap. 6, 1.

atque congressus pugnâ, victus & cum paucis fugatus inclusus est in Borsippensium civitate. Cyrus autem Babyloniam obsidens, & deliberans exteriores muros deponere civitatis, eo quod nimis videretur munita, & esset ad capiendum valdè difficilis, reversus est ad Borsippum, Nabonidum expugnaturus. Nabonido verò oppugnationem non exspectante, sed prius supplicante, usus clementiâ Cyrus, & dans ei habitaculum in Caramaniâ expulit eum à Babylone. Nabonidus itaque reliquum vitæ tempus in illâ provinciâ exegit. Hæc Berosus sacræ historiæ congrua.

CXIX. Cyrus mirâ usus est fortunâ, & varias insignes obtinuit victorias. Primùm quidem avum maternum Astyagen, à quo neci pridem ipse destinabatur, subegit, & regnum, quod hactenus penes Medos fuerat, ad Persas transtulit. Inde cum Crœso Lydorum rege opulento & potente bellum gessit, & superior factus ditionem suam latè extendit. Congressus etiam cum ultimo Babyloniæ rege Nabonido, quem à Daniele Darium Medum appellari diximus, acie eum profligavit, in Borsippensium civitate conclusit, & quum se submitteret, Caramaniæ præsidem constituit. Vbique enim victoriâ clementer usus est. Tandem ipsam Babylonem obsedit & cepit, atque adeo *subactâ Asia & universo Oriente in potestatem redacto* (quibus verbis utitur Iustinus) Iudæis potestatem fecit in patriam redeundi & templum restaurandi, ut narratur sub finem posterioris Chronicorum & initium libri Esdræ. Hist. l. 1.

CXX. Nomen ejus exprimi & de eo hoc ipsum prædici voluit Deus per Iesaiam prophetam annis, priusquam evenirent, circiter ducentis. *Dicam Cyro pastori meo, ut omnem meam voluntatem impleat, & dicat Ierusalemæ, Reædificator; & templo, Fundator*: Ies. XLIV, 23. Sequitur mox capite proximo: *Sic dicit Dominus uncto suo Cyro, cujus appre-*

apprehendi dexteram, & prosternam coram eo gentes, & lumbos regum Astyagis, Crœsi, Nabonidi *dissolvam, ut aperiantur coram eo valvæ & portæ non occludantur. Ego tibi præibo, & inæqualia æquabo, valvas chalybeas conteram, & vectes ferreos confringam: & dabo tibi thesauros abstrusos & opes absconditas, ut cognoscas quòd ego sum Dominus, qui voco te nomine tuo, Deus Israëlis. Propter servum meum Iacobum & Israëlem electum meum: & vocavi te in nomine tuo, cognominavi te, & non novisti me,* Differtur sanè solutio captivitatis *usque ad regnum Persiæ*, II Chron. XXXVI, *20*: intelligitur autem regnum non incoatum, quale erat devicto Astyage, sed additis reliquis regnis planè consummatum. Quum regno incoato alia subinde regna adjicerentur, diversæ poterunt constitui epochæ, quibus regnare cœperit Cyrus: quarum tamen rationem non videtur habere Scriptura, sed primum ejus annum dicere, quum omnium & ipsius urbis Babylonis compos factus deportatis Iudæis libertatem & licentiam redeundi promulgavit. Antequam enim Babylonem in potestatem redegisset, non potuit restituere vasa templi dominante Nebucadnezare avecta, & domibus idolorum addicta. Ceperat itaque Babylonem, quando de eo verba facit Scriptura in hunc modum: *Anno primo Cyri regis Persiæ, ut impleretur verbum Domini prolatum ore Ieremiæ, excitavit Dominus spiritum Cyri regis Persiæ, ut promulgaret per totum regnum suum, idq; etiam scripto, dicens: Sic ait Cyrus rex Persiæ, Omnia regna terræ tradidit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, ut ædificem sibi domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est inter vos de populo ejus? Sit Deus ejus cum eo, & adscendat Ierusalemum, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Israëlis. Ipse est Deus, qui est* vel habitat *in Jerusalem,* Iubet etiam vicinos quosque profecturis

favere & opem ferre: restituit vasa templi aurea & argentea quinquies mille & quadringenta, quæ Nebucadnezar abstulerat. Principes & duces redeuntium, quorum numerus quadragies bis mille, trecenti & sexaginta præter servos eorum & ancillas, erant Zerubbabel & Iosua summus sacerdos. Hæc Esdræ I & II. Catalogus reversorum repetitur Nehemiæ VII. Reduces exstruxerunt altare, in quo juxta legem unoquoque manè & vespere holocausta obtulerunt; celebrarunt præterea festum tabernaculorum, & jecerunt fundamenta templi.

CXXI. At vicini, infensi & infesti *turbabant eos in*
Esdræ 3, 4 & seqq. *ædificando, & mercede conducebant consiliarios contra eos ad dissolvendum consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persiæ, usque ad regnum Darii regis Persiæ*, qui Hystaspis erat filius, post occisos magos, qui regnum invaserant, solertiâ equisonis rex factus, uti legere est apud Herodotum libro tertio. *In regno autem Ahaschveroschi* sive Assueri, *principio regni ejus scripserunt accusationem contra habitatores Iudææ & Ierusalem: & diebus Artaxerxis* itidem. Dario Hystaspis filio successit filius Xerxes; & huic filius Artaxerxes μακρόχειρ vel Longimanus. Rex Persarum inter Darium & Artaxerxen medius non potest esse alius, quàm Xerxes. Ahaschverus itaque Xerxes est. *Sic impeditum est opus domus Dei, & mansit impeditum usque ad annum secundum regni Darii regis Persiæ*, Esdræ III, ult.
Cap. 7, 1. Darium hunc insequitur alius Artaxerxes, qui proinde μνήμων fuerit; & Darius inter duos hosce Artachsastas medius nullus alius quàm cognomento Nothus. Anno itaque secundo Darij Nothi *prophetavit Haggæus*
Zach. 1, 1. *propheta & Zacharias filius* (alibi nepos) *Hiddonis prophetæ Iudæis, qui erant in Iudæa & Ierusalem, in nomine Dei Israëlis mandantes eis. Tunc surgentes Zerubbabel & Iosua redorsi sunt*

ædificare

ædificare domum Dei, quæ est in Jerusalem: & cum ipsis prophetæ Dei juvantes eos. Ita Esdræ v, *1 & 2.* Quum à Cyro solveretur captivitas, jam tum duces redeuntium se præbebant Zerubbabel & Iosua, quem tamen nusquam sacerdotem summum vel maximum pontificem vocat Esdras, sine dubio quòd Pater ejus Iosedec, quamvis senio gravis & viribus ad difficiles labores subeundos minùs instructus, adhuc superesset, & honore illo fungeretur. Inter solutam à Cyro captivitatem & annum Darii Nothi secundum plures intersunt anni quàm centum. Vtrumque igitur & Zerubbabelem & Iosuam ad grandem ætatem Mosaicaque decennio & ampliùs majorem pervenisse oportuit.

CXXII. Haggæus itaque Domini jussu Iudæis exprobrat, quòd neglectâ curâ prosequendi structuram sacræ domus non nisi de suis privatis domibus ædificandis soliciti sint. *An tempus est vobis*, inquit, *ut desideatis in domibus vestris contabulatis, & domus ista sit deserta?* Cap. 1, v. 4. Propterea benedictionem divinam subtrahi, sterilitate agrorum defectuque proventuum & successum rei familiaris eos plecti. Post mensem unum & alterum jungitur Haggæo Zacharias, per quem Dominus promulgat, *Reversus sum ad Ierusalem in misericordiâ: domus mea ædificabitur in eâ, dicit Dominus exercituum, & regula extendetur super Ierusalem.* Cap, 1, v. 16. Hic est exitus vel egressio verbi de iterum ædificandâ sive restaurandâ Ierusalem, Dan. IX, 25. Compellantur quidem Zerubbabel & Iosua & qui cum eis mandato divino parére cœperant, & interrogantur à ministris regiis isthuc profectis, quo jure vel auctoritate talia moliantur; respondent autem, *Nos sumus servi Dei cæli & terræ — Anno primo Cyri regis Babyloniæ Cyrus rex contulit jus domum Dei istam ædificandi.* Esdræ 5, 11. Id quum regi

Dario regij significassent, & inventum esset *Achmetæ in regiâ, quæ est in provinciâ Mediæ*, rescriptum Cyri, non modò ut pergerent permisit rex Darius, sed etiam egregium subsidium tulit & nequis impediret, sub gravissimâ pœnâ interdixit. Sic igitur *absolutâ domo istâ ad diem tertium mensis Adar, quum esset annus sextus Darii regis, celebrarunt Israëlitæ, Sacerdotes ac Levitæ & reliqui reduces ex deportatione dedicationem hujus domus Dei cum gaudio; immolarunt victimas & celebrarunt pascha.* Lege Esdræ cap. VI.

CXXIII. Post Cyrum, Darium, Achasverosum sive Xerxen, Artaxerxen, Darium, quem alium non posse esse quàm Nothum diximus, sequitur in libro Esdræ Artaxerxes, quem juxta hanc seriem Μνήμονα vel Memoriosum esse oportet: cujus anno septimo, mense quinto venit Ierusalem Hezra vel Esdras legis peritus & sacerdos, è familiâ Pinehasi oriundus, cum amplissimis privilegiis & donariis à rege Artaxerxe dimissus. Edixerat enim rex, *A me constituitur lex, ut quicumque sponte se obtulerit in regno meo è populo Israëlis, sacerdotibusq; ejus ac Levitis ad proficiscendum Ierosolymam tecum* ô Esdra, *proficiscatur. Quandoquidem à rege & septem consiliariis ejus mitteris ad quæstionem habendam in Iudæâ & Jerusalem de lege Dei tui, quæ est tibi ad manum: & ad deferendum argentum & aurum, & quod rex & consiliarii ejus sponte offerunt Deo Israëlis, cujus habitaculum est in Ierusalem: cum toto argento & auro, quod inveneris in totâ provinciâ Babylonicâ, ex voluntariâ oblatione populi & sacerdotum sponte offerentium pro domo Dei sui, quæ est in Ierusalem.* Hæc & cætera ingentia in domum Dei ejusque ministerium & cultum ab hoc rege collata dona & beneficia innotescunt ex cap. VII Esdræ. Remanserat, ut hinc patet, in Babyloniâ pars populi, Levitarum & sacerdotum; nec concessâ abeundi licentiâ

licentiâ omnes usi fuerant: sicut nec posthac umquam. Abduxit igitur Esdras secum in iteratâ hac remigratione, quæ à primâ sub Cyro factâ distat annis centum triginta & tribus, mares mille, septingentos, quinquaginta & quatuor, sicut ex Esdræ octavo numerum licet inire. Consumsit in itinere menses fere quinque, & quum venisset Ierosolymam, in manus sacerdotum, quidquid à rege ejusque consiliariis & proceribus & ab Israëlitis in Babyloniâ acceperat, consignavit. Quum autem animadvertisset, non solùm plebem, sed etiam primores & sacerdotes nonnullos peccasse in legem, quæ prohibet ducere uxorem ex gentibus profanis & expulsis oriundam; ut prævaricationis suæ eos pœniteret, & uxores ejusmodi repudiarent, etiamsi ex eis liberos suscepissent, effecit. Deut. 7. 3.

CXXIV. Apud eumdem Artaxerxen in regiâ Susane pincernæ munere fungebatur Nehemias, qui quum ex popularibus è Iudæâ venientibus didicisset, quàm durâ conditione ibi vita ageretur, & quòd tum mœnia tum portæ Ierusalemi dirutæ jacerent, vehementer indoluit; & quum vinum regi porrecturus tristis apparuisset, caussamque rogatus exposuisset, impetravit non modò veniam Ierusalemum proficiscendi, ibi, quæ deessent, curandi; sed etiam præfectos copiarum & equites qui deducerent, & literas ad vicinarum provinciarũ præsides de ferendo subsidio. Contigit id anno decimo & tertio, postquam eodem se contulisset Esdras. Nehemias autem *ab anno vigesimo usque ad annum trigesimum secundum* Neh. 5. 14. *Artaxerxis regis*, atque adeo duodecim annis in Iudæâ & Ierusalem commoratus muros & portas urbis frustra tingentibus & adversantibus, qui in viciniâ erant, inimicis restauravit, inopiam multorum, quocumque potuit

tuit modo, sublevavit, fraudes pseudoprophetarum & falsorum fratrum retudit, populum recensuit, urbi incolas attribuit, rem sacram & civilem ordinavit, lege interim Mosis per Esdram sacerdotem & Levitas prælectâ
Nehem. 10. & expositâ. Quin suâ industriâ rem eò deduxit, ut optimates & populus fœdus injerint de præstandis, quæ lex Mosaica requireret, & sacris ac cultui divino impendi
vers. 32 & 34. oporteret: ut *imposuerint sibi trientem sicli quotannis ad cultum domus Dei*; item annuas *oblationes lignorum*, quæ Iosepho ξυλοφόρια dicuntur, & in festivitatem verterunt. Αλώσεως libro II, cap. XVII: τῇ δὲ ἑξῆς τῶν ξυλοφορείων ἑορτῆς οὔσης, ἐν ᾗ πᾶσιν ἔθος ὕλην τῷ βόμῳ προσφέρειν, ὅπως μήποτε τροφὴ τῷ πυρὶ λείποιτο. διαμένει γὰρ ἄσβεστον ἀεί. *Deinde quum esset festivitas xylophorias, in quâ mos est omnibus materiam lignorum ad altare* sive in usum altaris *convehere, ne umquam deficiat igni esca: semper enim inexstinctus perseverat*. Portæ & muri, postquam ultima manus eis imposita fuerat, consecrati sunt sive dedicati insignibus ceremoniis, *gratiarum actionibus, & musicâ, cymbalis, nabliis & citharis*. Quæ solennitas plenè describitur Nehemiæ XII. Aderant unà cum Sacerdotibus, Levitis, proceribus &
Nehem. 12, 26. populo Esdras legis peritus sacerdosque, & Nehemia qui vocatur *princeps* aut *dux*. Præceperat enim ei rex
5, 14. Artaxerxes, *ut esset princeps in terrâ Judæâ*. Idem dicitur Thirsatha, Vulgato Athersatha, Nehem. IIX, 10; X, 1: quomodo etiam appellatur qui ante ipsum ex mandato regio Iudæis reducibus præfuerat, Esdræ II, 63; Nehem. VII, 65. Tremellius & Iunius non malè reddere videntur *legatum regium*. Fuit sanè nomen alicujus magistratus apud Chaldæos. Nehemias autem post res istas confectas & exactos duodecim annos ad regem Artaxerxem Mnemonem rediit, anno ejus trigesimo secundo, &

do, & in *fine dierum* anni exoravit à rege veniam denuò eundi Ierusalemum. Quò reversus nonnulla, quæ interea irrepserant, & perperam vel admissa vel neglecta erant, correxit; conjugia inprimis cum fæminis alienigenis inita dissolvit. Quid deinceps egerit, & quòd usque ad vitæ finem in Iudæâ permanserit, verosimile quidem est, attamen non planè certum. Hæc hic visum fuit attexere, quòd faciant ad intelligendam historiam sacram. Nehem. 13. 6.

CXXV. Artaxerxi Mnemoni subjicit Nehemias Darium, eique jungit Iadduam Pontificem, Nehem. XII, 22. Darius iste nequit alius esse, quàm Darius Codomannus, ab Alexandro Magno devictus, translatâ à Persis ad Græcos summâ maximi imperii; nec Iaddua alius quàm Iaddus, quem Alexander magno honore prosequutus & veneratus fuit, ut memorat Iosephus sub finem undecimi Antiquitatum. Nam ad ea usque tempora Nehemiam pervenisse liquet ex ipsius libro inter sacros recepto, in cujus fine Sanballetis Choronitæ meminit. Quæ memorat Iosephus ita se habent: Iaddus pontifex Alexandro Tyrum oppugnanti renunciari fecerat, Dario se sacramento obstrictum esse. Quum igitur Alexander Tyro captâ Ierusalemum tenderet, in maximum metum conjicitur Iaddus, sed à Deo in somnis animatus jubetur unà cum collegio sacerdotum sacris, & populo albis vestibus induto obviam Alexandro procedere. *Is ut vidit è longinquo candidatum populum, & Sacerdotes ante agmen in amictu byssino, Pontificemq; in stolâ hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem cum præfixâ aureâ laminâ insculpta Dei nomine: solus ad eum accedens nomen illud adoravit, & salutavit Pontificem. Judæis autem omnibus uno ore Alexandrum consalutantibus, & in orbem cingentibus, Syriæ*

Reges & reliqui obstupuerunt, vix credentes Regem mentis compotem: solus Parmenio propius accedens rogavit familiariter, quid ita quum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Judæorum Pontificem? At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo, cujus Pontifex esset, honorem eum exhibuisse. hunc enim, inquit, vidi & antea hoc ipso habitu, quum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine morâ exercitum trajicere. nam suo ductu potiturum me Persarum imperio. Hæc sicut apud Iosephum habentur: cætera apud ipsum legi poterunt.

CXXVI. Darius rex ultimus Persarum, Iaddua pontifex maximus & Sanballetes Choronita, cujus operâ & Alexandri permissu exstructum fuit templum in monte Garizin prope Samariam, ex iis sunt, qui in sacrâ canonicâ historiâ postremi memorantur. Ad tempora igitur Alexandri ea pertingit, quamquam res ab illo gestas non attingit nisi anticipando per vaticinia apud Danielem. Apud quem cap. octavo per arietem bicornem Darius victus, & per hircum unicornem Alexander victor figuratur. De successoribus ejus & rebus subsequutis agitur eodem capite; & adhuc pleniùs
Cap. 8. 21. cap. XI. *Hircus ille villosus est rex Græciæ: & cornu grande interjectum oculis ejus, est rex primus. Quòd autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo,* significat quòd *quatuor regna de gente ejus consurgent, sed non cum robore illius.* Rursus:
Cap. 11, 4. *Frangetur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli, & non in posteritatem ejus, neque secundum dominatum ejus, quo dominatus fuerat: nam evelletur regnum ejus, & aliis præter illos,* posteros videlicet ejus, tribuetur. Macedoniam quidem paucis annis tenere permissus fuit Aridæus, frater Alexandri, post ejus obitum Philippus cognominatus, te-

ctus, tenui valetudine præditus, unà cum Euridice uxore jussu Olympiadis, matris Alexandri, interfectus. Olympiadem autem, nec non Barsinen & Roxanen, uxores Alexandri earumque filios Herculem & Alexandrum sustulit Cassander, Macedoniamque sibi vindicavit, laciniâ ejus Thraciæ finitimâ parte ad Lysimachum derivatâ. Regnum Asiæ occupavit Antigonus; Aegypti Ptolomæus Lagi filius; Syriæ Seleucus Nicanor, à cujus initio, ex quo Syriam subegit & imperare cœpit, incipiunt anni regni Græcorum, qui in libris Maccabæorum memorantur.

CXXVII. Successores autem inter se variis insidiis, bellis, fœderibus sancitis & abruptis per malè fidas affinitates non sine tragœdiis & parricidiis sunt collisi, inprimis reges Aegypti & reges Syriæ, cæteris potentiores, quorum illi per reges austri, hi per reges aquilonis Danielis XI designantur. Media inter eos Iudæa suis viribus se tueri non poterat, sed alterutri plerumque erat obnoxia, gratificari, inservire, aut etiam tributum pendere coacta. Quamquam, quum momentum aliquod, cui accessisset, adderet, benevolentiâ & beneficiis in suas partes trahere nonnulli sategerunt, & immunitates, quas concederent, sibi quàm adversariis deberi maluerunt. Ptolomæorum primus, quem, ut est apud Pausaniam in Atticis, *Macedones reapse Philippi, verbo Lagi filium fuisse existimant: ejus enim matrem uterum ferentem Lago uxorem à Philippo datam ferunt:* hic, inquam, Ptolemæus *Ierésolymam occupavit. Ingressus enim urbem sabbato velut sacrorum gratiâ, Iudæis non arcentibus, quòd nihil hostile suspicarentur, & alioquin eum diem in otio & quiete agentibus, sine difficultate potitus dominio, acerbè eam & inclementer tractavit.* Ita Iosephus Antiquitatum XII, cap.

 primo.

primo. Subjungit multos captivos ab eo in Aegyptum traductos, comiter tamen ibi habitos, *quibus apud Alexandriam jus civitatis pari cum Macedonibus conditione dederit. Non pauci*, inquit, *praeterea reliquorum Iudaeorum in Aegyptum migraverunt, partim ubertate terrae allecti, partim Ptolemaei erga suam gentem liberalitate.* Hujus Ptolomaei filius fuit Ptolemaeus Philadelphus, qui interpretibus ex Iudaeâ ab Eleazaro pontifice, Iadduae sive Iaddi nepote, petitis & accersitis Sacram scripturum graecè transferri fecit, & multa beneficia in Iudaeos & in templum
Ant. 12. l. 2. donaria contulit, ut legere est apud Iosephum.

CXXIIX. Ptolemaeos Aegypti reges hoc ordine & numero recenset Strabo Geographiae suae libro XVII. *Ptolemaeus Lagi filius Alexandro* Magno *successit; isti Philadelphus; huic Evergetes; ei Philopator Agathocliae (Agathocliae*
Sub init. *meretricis*, cujus etiam in Erotico meminit Plutarchus, *illecebris captus*, ut scribit Iustinus libro XXX:) *inde Epiphanes, & huic Philometor, semper filio patri in regnum succedente. Philometori verò successit frater, dictus Evergetes secundus, quem & Physconem*, aqualiculum vel ventricosum *appellant; cui successit Ptolemaeus cognomento Lathurus; Lathuro autem aetate nostrâ Auletes Cleopatrae pater. Sed omnes post tertium Ptolemaeum* Evergeten videlicet, *malè regnum administrarunt, luxu perditi: pessimè verò quartus*, nempe Philopator, *& septimus* sive Physcon *& ultimus Auletes.* Ita quidem Strabo. Aliquanto aliter Epiphanius libro de ponderibus & mensuris: & iterum aliter Eusebius in Chronicis. Interim Strabonem aetate vicinum fuisse & accuratum scriptorem esse constat.

CXXIX. Ptolemaeus Philopator *regno per patricidium parto, ad necem utriusque parentis caedem etiam fratris adjunxit*, ut scribit Iustinus. Per ironiam itaque Philopator di-

tor dictus fuerit; quemadmodum etiam nepos ejus appellatus est Philometor, quem quòd tanto odio prosequuta sit mater, quanti exemplum aliud inter reges nullum esset, memorat in Atticis Pausanias. Eripere Philopatori Cœlen Syriam moliebatur Antiochus Magnus, Syriæ rex, qui fratri Seleuco Cerauno successerat, natus Seleuco Callinico, Seleuci Nicanoris, à quo stirpis origo, pronepote. Gestum est bellum, & prælium commissum prope Raphiam, accuratè descriptum à Polybio libro quinto. Succubuit Antiochus, insignem cladem passus: *Ptolemæus* verò *victoria inopinatâ contentus, & omnino Cœlæ Syriæ imperium præter spem recuperasse satis habens, adeo non erat alienus à quiete, ut plus etiam, quàm par esset, ejus desiderio tangeretur, impellente ignaviâ & cæteris animi morbis, qui per universam vitam fuerunt illi familiares,* sicut scribit Polybius. Regressus in Aegyptum & *perlatus Jerusalemum sacrificat Deo maximo & gratias egit*, ut est libro, qui tertius Maccabæorum vocatur, quum tamen proponat historiam tempore priorem, quàm reliquis duobus libris continetur. Permisisse Iudæos regibus gentilibus, etiamsi idolis suis non renunciarent, ut nihilominus pro se & suis in templo sacrificia & dona juxta legis præscriptum offerri facerent, notum est ex ijs, quæ de Artaxerxe Mnemone, Alexandro Magno, Ptolemæo Philadelpho, aliis referuntur. Philopator autem quum in ipsum intimum sacrarium ingredi pararet, & prohiberetur, ingente adversus Iudæos omnes odio exarsit, diris suppliciis necaturus, quotquot in suo regno essent. Quomodo miraculosè divinitusque præsentissimo periculo erepti fuerint, tertius iste Maccabæorum liber exponit, *conditus*, ut censet in Animadversionibus Eusebianis Scaliger, *stilo & charactere Alexandrino,*

Cap. 1, v. 9.

 ampul-

ampulloso, & qui proximè abest à cothurno. Iosephus in libris Antiquitatum hujus rei non meminit: in posteriore tamen contra Apionem simile quid Ptolemæo Physconi tribuit, quod exstat in versione Ruffini, è græco autem textu deperiit.

CXXX. Philopatoris ex Ptolemæo Epiphane nepos fuit Ptolemæus Philometor, natus ex Cleopatrâ filiâ Antiochi Epiphanis. Hic autem Epiphanes à patre Romam obses missus post fratris necem regnavit, suæque sororis filium Philometorem sub specie tutelæ regno Aegypti exuere molitus fuit. Romani, ne potentia Antiochi Epiphanis nimis excresceret, rationem pupilli habendam censuerunt, & misso C. Popilio legato illum Aegypto excedere jusserunt. *Hoc pacto regnum Ptolemæi, quod tantùm non labefactatum jam erat, conservarunt,* ait Polybius: à quo, quàm seriò & strenuè rem egerit Popilius legatus, in Excerptis legationum commemoratur. *Omnes Antiochi conatus unica Romanorum denunciatione repressi sunt,* ait Iosephus XII Antiq. cap. VI. Proximo capite narrat, quomodo reversus ex Aegypto, quam metu Romanorum reliquerat, Ierosolymas nullo negocio ceperit, templum spoliaverit, legitimum omnem cultum aboleverit, idololatricum invexerit & summâ crudelitate stabiliverit. *In templo arâ posita* (verba sunt Iosephi) *porcos mactavit, & cogebat omnes, abrogato veri Dei cultu, ipsius venerari numina: & oppidatim exstructis templis atque altaribus, porcinas in eis quotidie jugulare victimas. Comminatus est etiam gravem pœnam, si quis liberos circumcideret, constitutis qui mandata exigerent, atque etiam vi ad ea servanda detrectantes cogerent. Et maxima quidem Judæorum pars, vel sponte vel metu supplicii parebat edictis regiis. qui verò probatiores erant & generosæ indolis, ma-*

Excerp. 92.

jorem

jorem rationem habuerunt moris patrij, quàm pœnæ intentatæ sibi per adversarios. Quamobrem quotidie necabantur excruciati tormentis crudelissimis. Flagris enim cæsi & lacerati corpora, vivi adhuc & spirantes suffigebantur crucibus. uxores autem eorum & circumcisos liberos strangulabant, juxta mandatum regium, & suspendebant à crucifixorum parentum cervicibus. abolebatur etiam ubicunque repertum esset sacrum volumen aliquod, & ipsi apud quos inventum esset, malè peribant. Eadem narrat primus Maccabæorum cap. primo: unde sua depromsisse videtur Iosephus. Hoc autem ipsum est, quod prænunciaverat Angelus apud Danielem XI, 30: *Revertetur & irascetur contra fœdus sanctum, & faciet* sive efficiet, quod desiderat: *& intelliget super desertores fœderis sancti,* sive cum eis, quales Iason, Menelaus, Alcimus bene ei conveniet, & quod cupiunt, in rem conferet. *Et brachia* (robur militare) *ab eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis,* sive satis aliàs munitum, *& auferent juge sacrificium, ponentq́ue abominationem obstupefacientem,* id est, idolum, quod Iudæos stupidos reddet & attonitos (*Extructa fuit abominatio desolationis super altare, quod erat Jerosolymis,* habet primus Maccabæorum) *Et impiè agentes in pactum ad peccandum inducet blanditiis: & populum cognoscentium Deum suum prehendent & facient,* quod adversus eum allubescit. Nihilominus *intelligentes populi docebunt multos: &* ex illis *corruent gladio, flammâ, captivitate & rapinâ diebus multis.* Cap. 1, 56, 6, 7.

CXXXI. Tandem *surrexit Mattathias, filius Iohannis, filii Simeonis, sacerdos ex filiis Ioarib,* non quidem stirpis familiæ Pontificiæ, sed primæ classis sacerdotalis, cujus, quum Rex David seriem sacerdotum disponeret, prima sors prodijt: *oriundus de Ierusalem, & consedit in Modin.* Ita primus Maccabæorum initio capitis secundi: ubi

ubi quomodo unà cum filiis, cognatis & Hasidæis חסידים sive hominibus pietati addictis, dominanti idolatriæ se opposuerit, & ad montana receptum habuerit, plenè narratur. Iosephus Matthiam dicit, υἱὸν ἰωάννου,
12 Ant. c. 8 τοῦ συμεῶνος, τοῦ ἀσαμωναίου. Inde cognomentum Assamonæorum, derivatum à proavo Matthiæ, sive fortè aliunde familiæ factum sit proprium. Mattathias diem suum
1 Maccab. 2, 70. senex obijt, anno centesimo quadragesimo sexto, *ex quo primùm ad Seleuci familiam Syriæ regum devenerat*. Ita enim
12 Ant. c. 7. & 14. rectè exprimit Iosephus: nec alij in libris Maccabæorum anni designantur. Parenti successit Iudas Maccabæus vel Macabai, cognomēto confecto ex primis literis verborū,
Ex. 15, 11 quæ in cantico Mosis: מי־כמך באלים יהוה ut nonnulli volunt. Quod licet uni Iudæ proprium, ad omnes tamen caussâ conjunctos transferri cœpit. Magna autem præstitit, insolescentem idololatriam compescuit, templum repurgavit, legitimum cultum restauravit adeo, ut finito tertio anno, ex quo abominatio introducta fuerat, encænia celebrarentur: de quibus primus Maccabæorum cap. IV; & Iosephus Antiq. XII, cap. XI. Repetita sunt quotannis, atque adeo etiam quum in terris ageret Christus, Ioh. x, 22. Iudas autem post multos victorias & egregia facta tandem in prælio contra Bacchidem ducem Demetrii Soteris regis Syriæ, qui natus erat patre Seleuco Philopatore, numero superatus generosè occubuit, post obitum parentis anno sexto, τὴν ἀρχιερωσύνην ἔτος τρίτον κατάσχων. *per triennium pontificatu functus*, ut est apud Iosephum Antiq. lib. XII, cap. XIX: quum jam Antiochus ipse ante triennium Babylone esset mortuus.

CXXXII. De Pontificibus horum temporum ex Iosepho, quo certior auctor dari nequit, aliquid anno-

tare

tare videtur operæ fore precium. Regum Persarum imperio subditos & dicto audientes, salvâ suâ religione & αὐτονομίᾳ, Ecclesiam & remp. supremo loco administrasse ex superioribus potest intelligi. Quomodo Iaddum veneratus sit Alexander Magnus, itidem antea expositum fuit. Iaddo successit filius Onias, ut scribit in fine undecimi Antiquitatum Iosephus. *Oniæ defuncto filius Simon successit, Iustus cognominatus, quòd & Deum piè coleret, & cives summâ prosequeretur benevolentiâ.* Mortuus filium unicum impuberem reliquit, haut idoneum gerendo Pontificatui, quem propterea suscepit frater mortui Eleazarus, à quo Ptolemæus Philadelphus Scripturæ interpretes impetravit, Antiq. XII, cap. II. Post obitum Eleazari Manasses ejus patruus Pontificatum adsumsit; cui defuncto Onias successit, Simeonis Iusti filius, paullò antè ut minorennis memoratus. Hic βραχὺς ὢν τὴν διάνοιαν, καὶ χρημάτων ἥττων, *exigui erat judicij & avarus; unde factum, ut tributum, quod pro populo maiores eius de suo solebant regi pendere, talenta argenti viginti non solvendo, ad iram commoverit Ptolemæum Evergetem patrem Philopatris. Qui misso Hierosolymam legato incusabat Oniam, quòd tributum non redderet: minabaturque, ni faceret, regionem eius militibus suis se divisurum, & novas colonias eò deducturum. quod audientes Iudæi perterriti sunt, licet Onias perfricta fronte hæc contemneret, nihil curans præter pecuniam.* Ant. XII, cap. III. Sequitur quomodo Iosephus, ex Oniæ sorore Tobia patre natus, Regem placaverit & Iudæis benevolum reddiderit denatus eodem ferè tempore, quo ejus avunculus Onias pontifex, qui successorem reliquit Simonem filium, cui vitâ functo successit filius Onias, ejus nominis jam tertius, Antiq. XII, cap. IV. Qui im-

maturâ ætate deceſſit, relicto filio parvulo ὁμωνύμῳ. Fratres ejus Ieſus, qui Iaſon dici voluit, & Onias, qui maluit Menelaus appellari, ut pontificatu alter præ altero potiretur, Antiocho Epiphani & gentiliſmo ſe totos manciparunt. Ioſephus diſertè Antiq. XII, cap. VI: *Antiochus poſt Oniæ obitum fratri ejus Jeſu pontificatum contulit: quo tamen per regis indignationem privatus eſt, transferentis eum in Oniam fratrem natu minimum. Simoni enim hi tres fuerunt filii,* καὶ εἰς τοὺς τρεῖς ἧκεν ἡ ἀρχιερωσύνη, *& ad omnes tres pervenit pontificatus.* Quamquam de his hominibus

Cap. 7, 21. peſſimis, & Alcimo ſive Iacimo (qui etiam ipſe ἠγωνίζετο περὶ ἀρχιερωσύνης, & tandem θεηλάτῳ morbo perculſus cum

Cap. 9, 56. magno cruciatu obiit, ut eſt in primo Maccabæorum) quoad rationem temporum nonnulla intricata ſunt apud Ioſephum. *Mortuo,* ait, *Alcimo populus Iudæ* Maccabæo *pontificatum tradidit,* Antiq. XII, cap. XVII. Quem quum per triennium geſſiſſet, occubuit, quemadmodum priùs fuit dictum.

CXXXIII. Quum occubuiſſet, *momento illo accepit Ionathan principatum, ſurrexitq; in locum Iudæ fratris ſui,* I Maccab. IX, 27. Eum hinc Demetrius pridem memoratus, iſthinc Alexander, cognomento Veles, Antiochi Illuſtris filius, cæſo fratri Antiocho Eupatori ſuperſtes regnumque paternum capeſſens, ad ſe ſuaſque partes uterque pellicere conati ſunt. Maluit tamen adhærere Alexandro, quàm Demetrio, cui deinde in prælio etiam fortuna adverſa fuit, ut ſuccumberet & occideretur. Alexander autem Ionathani Pontificatum contulit. *Sic induit Ionathan ſanctam veſtem ſeptimo menſe anni centeſimi ſexageſimi, feſto tabernaculorum,* I Maccab. X, 21; quum per octennium Pontificatus vacaſſet. Adde Ioſephum Antiq. XIII, cap. V. Alexandro in Arabiâ occiſo fuit filius

lius Antiochus, qui dicitur Antiochus junior 1 Maccab. xi, 57: cujus tutelam & patrocinium contra Demetrium Nicanorem juniorem filium Demetrij Soteris suscepit Diodotus Tryphon homo improbus, qui Ionathanem fraudibus circumventum nequiter & perfidè interfecit, 1 Maccab. xiii: Antiq. xiii, cap. x.

CXXXIV. Ionathani ex consensu populi (Rex tamen Demetrius ei quoque Pontificatum stabilivit, 1 Macc. xiv, 38) successit frater Simon, ut ita tres habeamus Mattathiæ filios, sibi in principatu & pontificatu successores, Iudam, Ionathanem & Simonem. Præter hos fuerunt alii duo, quorum Eleazarus sub elephante interiit, 1 Maccab. vi, 46; Iohanan verò sive Iohannes præter spem à filiis Ambri occisus est, ix, 36 & 42. Sub hoc Simone res Iudæorum meliùs habere cœperunt, quàm pridem, magnisque accessionibus auctæ sunt. Verba sunt primi Maccab. xiii, 41: *Anno centesimo septuagesimo sublatum est jugum gentium ab Israële; cœpitq́, populus Israëliticus scribere in syngraphis & contractibus: Anno primo Simonis pontificis maximi, ducis & principis Iudæorum.* Adde Antiq. xiii, cap. xi. Arcem templo vicinam, quam muniverat Antiochus Epiphanes, & hactenus, utut sæpe tentassent, in potestatem redigere non potuerant priores duces, expugnavit *soloq́, æquavit, ne posthac esse posset hostibus receptaculum* (verba sunt Iosephi) *neve inde urbi aliquod inferretur incommodum. Quo facto visum est ei operæ precium, si mons quoq́, in quo sita fuerat, complanaretur, ut solum templum emineret.* Quod etiam populi indefesso & continuato per triennium labore effecit. Post multa præclarè facta & de gente suâ bene merita in convivio scelere generi sui Ptolomæi, qui filius Abubi dux erat constitutus in agro Ierichuntino, occisus est, *quum per*

octo annos Judæis præfuisset, ut est Antiq. XIII, cap. XIV. Adde ultimum primi Maccabæorum, cujus postrema sunt verba; Iohannes cognomento Hyrcanus ἐγενήθη ἀρχιερεὺς μετὰ τὸν πατέρα αὐτοῦ, *factus est summus pontifex post patrem suum*.

CXXXV. Sub initium principatus sui ab Antiocho Pio pacem quingentis talentis redemit: qui quum in prælio contra Arsacen Parthum occubuisset, fimbrias extendere cœpit Iohannes iste Hyrcanus, *subjugatisq; omnibus Idumæis edixit, ut circumciderentur, nisi mallent è suis pelli sedibus. at illi amore patriæ admiserunt & circumcisionem & reliquam juxta Judaicos ritus vivendi formulam: atque ex eo in posterum Iudæis accensentur*, Antiq. XIII, cap. XVII. Et cap. proximo: Samariam urbem munitissimam obsedit, quæ frustra in subsidium advocavit Antiochum Cyzicenum. nam *Hyrcanus, integro anno in oppugnatione exacto, non contentus urbem capere, solo eam æquavit, inductis eò torrentibus; quorum eluvie ita cuncta fœdata sunt, ut ne quidem vestigium urbis superesset. — Hyrcano autem apud Judæos felicitas invidiam peperit: præcipuè verò Pharisæorum secta ei malè valebat, quorum tanta est auctoritas apud populum, ut etiamsi regi obloquantur aut pontifici, fidem tamen eis vulgus habeat.* Cæterùm Hyrcanus *post vitam satis feliciter exactam, elapsis uno & triginta annis imperii, moritur.*

CXXXVI. Enatæ autem erant, ne id prætereamus, inter Iudæos, postquam repressa est sævities Antiochi Epiphanis (id enim videtur vero simillimum, quandoquidem sub eâ vel ante eam non memorantur) tres sectæ, Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum, de quibus agitur XIII Antiq. cap. IX; &, inprimis de Essenis, II Belli cap. VII. Oniæ verò pontificis, quem tertium suprâ numeravimus & relicto cognomine filio impu-

impubere decessisse diximus, is ipse filius Onias à Ptolemæo Philometore ejusque conjuge Cleopatrâ impetraverat, ut liceret sibi in Aegypti regione Heliopolitanâ templum Ierosolymitano conforme ædificare, abusus dicto Iesaiæ prophetæ, *In illa die erit altare Domino in media terra Aegypti*: quâ de re XII Antiq cap. XV; & XIII Antiq. cap. VI; & VII Belli, cap. XXX, cui postremo loco cum prioribus malè convenit, dum Oniæ Simonis filio, qui jam pontifex fuisset, quidquid ejus est, tribuit. Cap. 19,19.

CXXXVII. Cæterùm ut, quæ de Pontificibus horum temporum dicere cœpimus, in compendium contrahamus, utemur eo ipso, quod proposuit Iosephus XX Antiq. cap. IX. Iohannes, inquit, Hyrcanus pontificatum, quem per annos triginta & unum gesserat, quum decrepitus obiret, Iudæ filio, qui alio nomine Aristobulus dictus est, reliquit. Is quum primus sibi diadema imposuisset, Ituraæ partem subegisset, & pontificatum atque regnum junctim per annum administrasset, propter parricidium matris & innoxij fratris morbo θανάτῳ (de quo XIII Antiq. cap. XIX) sublatus heredem & successorem in utroque habuit fratrem suum Alexandrum, Iannæum quoque dictum, qui quum regnum pontificatui conjungens viginti septem annis Iudææ præfuisset, moriens Alexandræ uxori permisit delegendi pontificis arbitrium. De ejus autem rebus gestis, atrocitate & crudelitate, & quàm exosus fuerit Iudæis vide XIII Antiq. capp. XX, XXI, XXII & XXIII: quo postremo narratur consilium observatu dignum, quod moriens dedit uxori, nempe ut ex odio publico eluctari & securè regnare possit, Pharisæis ἐξουσίαν τινὰ permittendam esse: *posse enim plurimum apud Iudæos, sive exosum aliquem cupiant lædere sive amicum juvare. nam vulgus his magnam fidem ha-*

 bere,

bere, etiamsi per invidiam de aliquo male loquantur. Quod quomodo successerit, proximo XXIV capite exponitur; ita videlicet ut nomen regni fuerit quidem penes reginam, δύναμις verò & administratio penes Pharisæos.

CXXXIIX. Sed ad octavum caput vigesimi Antiquitatum revertamur. Alexander Alexandræ uxori reliquit regnum, duosque filios, Hyrcanum & Aristobulum, & arbitrium utri vellet Pontificatum tribuere. Tribuit autem natu majori Hyrcano, quòd is amans esset otii & quietis, *exactoq; in regiâ potestate novennio è vivis excessit, quo toto tempore Hyrcanus pontificatum tenuit. nam post matris obitum Aristobulus frater,* qui etiam ante eum matri adversatus factiones inire & tumultuari cœperat, *moto bello victam Hyrcanum ad privatam vitam redegit, & sibi regnum simul ac sacerdotium vindicavit, exactisq; in utraq; dignitate tribus annis & totidem mensibus, quum superveniens Pompejus* ab utroque fratre attractus *vi cepisset urbem & templum,* cujus tamen thesauros intactos reliquit, *à victore vinctus Romam missus est* cum duabus filiabus & totidem filiis; & *Hyrcanus in pontificatum restitutus principatum quoq; suæ gentis accepit, sed absque diademate: præterq; priores illos novem per alios* XXIV *annos summum sacerdotium obtinuit.* Hyrcanus quidem suâ sorte vitaque privatâ molestiarum vacuâ contentus quievisset, sed ab Antipatro origine Idumæo, viro pecunioso & naturâ factioso, Herodis ad regnum tandem evecti parente, inductus ad Aretam Arabum regem primùm profugit; deinde Pompejum, sicut diximus, attraxit, magno totius gentis malo. *nam tum primùm,* ait alibi Iosephus, *libertatem amisimus, subjecti Romanorum imperio; & regionem de Syris bello captam reddere ipsis coacti sumus; & insuper plus quàm decem millia talentorum brevi tempore à nobis Romani exegerunt; & regnum, quo*

prius

priùs pontificale genus honestabatur, ad plebeios translatum est homines, nempe ad Antipatri Idumæi familiam. Aristobulus autem respectu cognominis avi sui, quem primum sibi diadema imposuisse diximus, discriminis ergo secundus appellari potest: cui ex uxore Romanarum partium studiosâ (XIV Ant. cap. X) præter liberos secum Romam abductos fuerunt filij Alexander & Antigonus, qui adversus Hyrcanum multa moverunt, ut patri suo & sibi supremam dignitatem assererent. Alexandro autem nupta fuit Alexandra, Hyrcani patrui filia: ex quo conjugio nati sunt Aristobulus, quem tertium nuncupare possumus; & Mariamme. Hanc uxorem duxit Herodes & tandem interemit; illum Pontificem creavit, & elapso anno natantem in piscinâ suffocari fecit. Aristobulus secundus Romæ è vinculis elapsus & in Iudæam reversus à Gabinio iterum captus & Romam remissus est: à victore autem Iulio Cæsare in gratiam receptus & cum duabus legionibus in Syriam destinatus à Pompejanis veneno tollitur: filius ejus Alexander jussu Pompeji apud Antiochiam securi percutitur, XIV Antiq. cap. XIII: alter filius Antigonus à Parthis auxilia impetrat, à quibus in Iudæam reducitur, & in Parthiam captivus abducitur Hyrcanus, amputatis auriculis, ne posthac pontificatui esset idoneus.

CXXXIX. Per hosce motus & Parthicos ab Antigono attractos exercitus in angustias conjectus Herodes Romam se confert, ubi pridem sibi patrocinium conciliaverat Antonij, cujus commendatione à Senatu rex Iudææ præter suam spem creatur, & quum è Senatu egrederetur, medius inter Cæsarem Augustum & Antonium deducitur. Reverso in Iudæam cum Antigono regnum sibi vindicante bellum fuit, qui intra Ierusale-

mum

mum conclusus tandem ab Herode & Sosio, quem in auxilium miserat Antonius, unà cum urbe & templo capitur, & ad Antonium Antiochiam perductus instigante Herode securi percutitur. Hyrcanus senex & auribus mutilatus à Parthis comiter habetur, & Babylonem transire permittitur, ubi maximum honorem exhibent Iudæi tum indigenæ tum vicini. Ab Herode autem jam rege blanditiis sibi persuaderi passus est, ut ad eum reverteretur, à quo etiam in magno honore habitus est. Interea evertitur fortuna Antonij cui hactenus insigni fide addictus fuerat Herodes. Veritus itaque ne apud Cæsarem Augustum ea res fraudi sibi esset & caussa amittendi regni, eum adire & experiri num placare posset, decrevit. Quum autem sciret, quàm ipse exosus esset populo; non fore ratus consultum in ejus oculis se absente Hyrcanum, unicum ex stirpe regiâ superstitem, versari; de tollendo improba cosilia iniuit, & tandem perfecit. Existimavit enim quamdiu ex Assamonæâ familiâ aliquis superesset, se regnare securè & sine periculo non posse. Quæ ad eum modum, nefariè sublato grandævo Hyrcano, penitus fuit exstincta. Herodes autem Rhodum Augusto in occursum delatus ita excusatione & sermonibus eum demulsit, ut non modò ignosceret, sed etiam diadema restitueret, honorem haberet, quin hortaretur, ut non minùs posthac suam, quàm quondam Antonij amicitiam coleret. Lege xv Antiq. cap. ix & x.

CXL. Nunc pergamus ex penultimo capite ultimi Antiquitatum de Pontificibus nonnulla adducere, quæ ex superioribus promtiùs intelligentur. Herodes, quum à Romanis regnum accepisset, & adjutore Sosio Ierusalemum expugnasset, Antigonumque per Antonium

nium interimi curasset, *non amplius ex Assamonæo genere creavit Pontifices, sed eum honorem quibusvis ex sacerdotum ordine concessit, etiam obscuris, uno Aristobulo excepto, hunc enim Hyrcani à Parthis capti nepotem, & Mariammes suæ uxoris fratrem ob favorem populi & Hyrcani avi memoriam summo sacerdotio dignatus est.* Quod impulsus à socru suâ Alexandrâ, Hyrcani filiâ, matre Mariammes & Aristobuli, quem tertium haut incommodè appellari diximus, id fecerit, memoratur xv Antiq. cap. II. *Cavens,* ait ibi Iosephus, *ne quis illustrium crearetur potifex, accito Babylone non obscuri generis sacerdote Ananelo, huic summum sacerdotium dedit. Alexandra non tulit hanc contumeliam,* sed rem eò deduxit, ut suum filium Aristobulum pontificem crearet. Itaque *Rex confestim pontificatum abrogat Ananelo, viro peregrini generis, utpote nato ex Iudæis olim ultra Euphratem per Assyrios traductis. Eum quidem regnum adeptus auctoritate sua pontificem constituerat, sed postea deposuit, ut turbatam suam familiam componeret sive placaret.* Quum autem animadverteret populum favore & studio singulari in Aristobulum inclinare, metuens ne qui inde contra se motus exorirentur, natantem in piscinâ per dolum suffocari fecit: interim *modis omnibus nitebatur fidem facere, se inscio casum contigisse, non luctum tantum fingens, sed & lacrymas & mœrorem verosimilimum. Hic fuit exitus Aristobuli, anno decimooctavo ætatis, primo pontificatus, qui mox ad Ananelum rediit.* Sic Herodes pro lubitu Pontifices ex alio quàm pontificio genere adsumtos instituit & destituit. *Idem fecit Archelaus ejus filius,* cui post obitum parentis ethnarchiam Iudææ concessit Augustus; *idem Romani, qui post illum* Viennam Galliæ ab Augusto propter tyrannidem, quam exerceret, relegatum, *cum potestate præfuerunt provinciæ,* ut loco pluries laudato scri-

Cap. 3.

V bit Io-

bit Iosephus: apud quem exempla sunt obvia. Ipse Herodes Iesu Phabetis filio, quem Ananelo surrogaverat, pontificatum adimit, & successorem ei dat Simonem, cujus filiam formâ captus uxorem ducebat, xv Antiq. cap. XII. Deinde quum ea in suspicionem parati veneni incidisset, & ipsam abjecit, & Simoni patri ejus sacerdotium, quod tamen aliquamdiu tenuerat, abrogavit, Matthiæque Theophili filio contulit, XVII Antiq. cap. VI. Sed ei quoque, quod permisisset aquilam auream portæ templi impositam ab adolescentibus dejici, ademit, & Ioazaro, uxoris abdicatæ sive patruo sive fratri, attribuit, cap. IIX. Cæterùm Archelaus Româ in Iudæam, tunc etnarcha, reversus Ioazaro pontificatum abrogat, & ejus fratri Eleazaro confert: quo nec Eleazarus diu potitus est, surrogato in viventis locum Iesu Siæ filio, cap. XV. Aliter narrat XIIX Antiq. cap. III. *Quirinius*, inquit, ab Augusto in Iudæam missus, ut Archelai Viennam relegati facultates in fiscum redigeret & censu ageret, *quum mota esset plebis adversus Ioazarum pontificem seditio, privavit eum dignitate, & Ananum Sethi filium substituit.* Fortè dum ventilatur caussa Archelai, & de eo relegando agitur, Ioazarus dignitati acquisitæ inhærens Eleazarum & Iesum Siæ filium vitio creatos adseruit, & loco cedere noluit. Cæterùm quum paullò pòst Augustus diem suum obiisset, successit Tiberius: *à quo in Judæam præses missus Valerius Gratus. Is sacerdotium Anano ademit, & Ismaëlem Phabi filium pontificem constituit: & hoc ipso etiam post modicum tempus dejecto in Eleazarum Anani pontificis filium dignitatem transtulit. Sed elapso anno hunc quoque in ordinem redegit, & Simoni Camithi filio pontificatum dedit. Qui itidem quum in dignitate annum exegisset, jussus est eam cedere Iosepho, qui Caiaphas cognominabatur.*

Vide-

Videmus Pontifices annuos, & alios aliis viventibus subrogatos. Sub finem vitæ suæ Tiberius in Iudæam mittit præsidem Vitellium. Is in locum Iosephi Caiaphæ subrogat Ionathanem Anani pontificis filium; & post non multum temporis à Ionathane in fratrem ejus Theophilum pontificatum transfert, XIIX Antiq. VI & VII. Ananus is est, qui in Evangelicâ historiâ Annas dicitur, & quia ipse aliquamdiu pontificatu functus fuerat, & filios pontifices viderat, quin etiam Caiapham pontificem, qui diutiùs aliquanto dignitatem tenuisse videtur, generum habebat, in magnâ apud Iudæos fuit auctoritate. Conjunguntur igitur Annas & Caiaphas Lucæ III, 2: ad Annam, sine dubio ut honorem in transitu haberent, Iesum Servatorem proditione Iudæ captum deduxerunt: is verò misit vinctum ad Caiapham generum suum, *qui erat pontifex maximus anni illius*, vel illo tempore, Ioh. XIIX, 13. Desultorii enim pontifices, quamquam ille diuturnior fuit, haberi pridem cœperant. Nec fortè desierant esse Pontifex & Vicarius sive τοποτηρητὴς pontificis, qui Iudæis סְגָן secundus sacerdos magnus, quomodo Paschurem constitutum in domo Domini ducem vel antecessorem, qui Ierem. XX, 1 memoratur, Elias in Tisbi accipit & interpretatur. Dicuntur כֹּהֵן הָרֹאשׁ sacerdos primarius, & כֹּהֵן מִשְׁנֶה sacerdos secundanus II Reg. XXV, 18; Ierem. LII, 24.

CXLI. Quum Servator Lazarum suscitasset, *multi ex Iudæis crediderunt in eum* sicut legitur Ioh. XI, 45. *Coëgerunt igitur primarii sacerdotes* (ἀρχιερεῖς tum hic alibi vicentur appellari, qui pontificatu aliquando functi fuerant, vel secundani pontifices, vel ὅσοι ἦσαν ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ, *quotquot erant ex genere pontificio*, ut est Act. IV, 6: ex quo videlicet juxta morem tum receptum creari pon-

tifices possent) *& Pharisæi concilium, & dicebant, Quid agemus? nam hic homo multa signa facit. Si permittimus eum ita* pergere, *omnes in eum credent*, Messiamque & Regem, cui excusso Romanorum jugo regnum debeatur, agnoscent. Talem enim Messiam illi imaginabantur. Quod quum ferre neque velint neque possint *Romani, venient &* instructi viribus, quibus nos neutiquam pares erimus, *tollent* & delebunt *tum locum nostrum*, urbem videlicet & templum, *tum gentem*. Dixit autem eis Caiaphas, eo tempore Pontifex maximus: *Vos nihil scitis; nec cogitatis expedire nobis, ut unus homo*, quantuscumque fuerit, quo jure quave injuriâ, *moriatur pro populo, & tota gens non pereat*: quod videlicet omnino fiet, si hunc unum hominem non tollimus, & ab eo Romanos porrò irritari permittimus. Hoc uno sublato, periculum cessabit. Est quasi dixisset, si scelus commiserimus, & fuderimus innocentem sanguinem, Deus nobis propitius erit & tutos præstabit. Quo nihil improbius vel absurdius dici potuit. *Hoc autem ex semetipso non dixit*: sanè juxta hunc improbum & absurdum sensum ex semetipso dixit, *sed quum esset Pontifex maximus illius anni, prophetavit*, idest, DEUS voluit & fecit, ut verbis uteretur, quæ non tantùm impium & nefarium illum sensum, quem intendebat ipse, continerent, sed prorsus propheticum & evangelicum, quem proferens nec intenderet, & ne intelligeret quidem, nempe *fore, ut Iesus pro gente moreretur, nec tantùm pro eâ* Iudæorum *gente, sed ut etiam filios Dei* per orbem terrarum *dispersos* ex omnibus gentibus *congregaret* sub se capite *in unum* spirituale corpus & societatem. Et hoc voluit Deus ab improbo pontifice (ut tamen inter Iudæos aliquis Pontifex esset, ipse constituerat) proferri, ut qui posthac ex Iudæorum gente converterentur, animad-

madverterent sanctissimam hanc veritatem à Pontifice impietatis & cædis magistro, quamvis ipse eam ignoraret & totus in contrarium iret, liquidò adsertam fuisse.

CXLII. Talis fuit status & conditio Pontificum in Iudæâ, quum in eâ nasceretur & deinceps versaretur suumque sanctissimum ministerium obiret Christus Dominus, Servator mundi. Natus est autem imperante Cæsare Augusto, ad finem vergente ætate & regno Herodis. Qui tum parentis sui Antipatri tum propriis meritis Romanos devinxerat, inprimis Antonium, cujus favore Rex creatus Hierosolymam obnitentem à Sosio adjutus cepit, & exstincto Antonio Augusti gratiam conservavit; vir in acquirendo & administrando regno gnavus, industrius & felix, *duobus potissimùm modis subditos in officio continens, timore suppliciorum, quæ nemini remittebat; & liberalitate, quâ providebat publicis necessitatibus*, XII Antiq. c. XII. Interim *quòd esset supra facultates sumtuosus, cogebatur molestus esse subditis. nam quum in alios erogaret plurimum pecuniæ, necesse erat eam aliquando malè quærere*, XVI Antiq. cap. IX. *Quemadmodum* autem *foris supra spem fortunâ utebatur propitia, sic domi præter opinionem omnia malè cedebant, ut meritò ambigendum sit, possitne pensari tantâ externâ felicitate calamitas ejus domestica, an satius esset carere ex æquo utraque, & intra privatam fortunam consistere*, XVI Ant. cap. VI. Vxores decem habuit, è quibus omnium carissimam Mariammen Assamonæam interimi; filios autem, quos ex eâ genuerat, quum mater periret, tenellos, deinde verò eximios juvenes, & tum ob matris memoriam, tum proprias virtutes carissimos, Alexandrum & Aristobulum falsò & per calumniam delatos strangulari; tandem Antipatrum, primogenitum suum, cujus technis duo illi fratres perierant, sub finem

vitæ jugulari fecit: & alia multa animi enormiter crudelis exempla edidit.

CXLIII. Apud Cæsarem Augustum, cujus erat observantissimus, accusaverat noxium filium, & acceperat responsum, eum *relinqui arbitrio & regis & patris, sive in exilium vellet eum pellere, sive capite plectere*, Antiq. XVII, cap. IX. Refert Macrobius, Saturnaliorum secundo, cap. quarto, ubi jocos Augusti commemorat, *Quum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum*, quòd dixerit, *Melius est Herodis porcum esse quàm filium.* Si hic est ille Macrobius, quem laudant Honorius & Theodosius Imperatores titulo octavo Codicis Theodosiani, integris quatuor seculis seriùs post rem perpetratam ita scripserit. Et fortè non multò ætate major est, quum producat Plotinum, Symmachum, Servium grammaticum. Sed apud Imperatores adeo pios Præpositum cubiculo fuisse, qui ubique merum paganismum spirat, & nulla præ se fert argumenta Christianismi, haut est verosimile. Dicit inter pueros, quos Herodes jussit interfici, filium quoque ejus occisum. Si dixisset, paullò post pueros interemtos filium occisum fuisse, accuratè scripsisset. Sed esto tempus intermedium non fuisse tantum, ut loquutio excusari non possit. Filius autem, qui post pueros occidebatur, non puer erat, sed planè adultus. Quamvis verò potestatem fecerat Augustus Herodi, ut pro suo arbitrio sive ut rex sive ut pater improbum filium coërceret; nihilo tamen minùs ipse ad humanitatem à naturâ factus admirari potuit sævum Herodis rigorem, & jocando affirmare, quòd satius sit Herodis porcum esse, quem juxta legem gentis non esset mactaturus,

quàm

quàm filium, quandoquidem post duos sublatos nunc etiam tertium interemerit.

CXLIV. Quod ejus religionem & cultum, quem numini impenderet, attinet, etiamsi à puero Iudaicis ritibus & statutis, per quæ omnem idololatriam vitari oporteret, innutritus esset, ambitione tamen & hinc enato studio demerendi Cæsarem Augustum & Romanos abreptus & dementatus manifestâ idololatriâ se contaminavit. Quâ de re Iosephus Antiq. xv, cap. XII: *Ambitio studiumq; demerendi Cæsarem & potentiores Romanos causa fuit, ut multùm à patrijs institutis decederet, & leges divinas violaret, dum in honorem eorum urbes condit & templa exstruit, licet non in solo Iudaico: hoc enim illi nequaquam laturi erant, quod nefas sit nostris statuas ac effigies more Græcorum colere. quapropter extra eorum regionem tales urbes collocabat, excusans se Judæis, quòd non sponte, sed potentiorum jussu hæc faceret: & interim Cæsarem Romanosq; tanto magis sibi devinciens, quòd in eorum honorem à patriis consuetudinibus sustineret discedere.* Capite proximè antegresso narrat Iosephus, quomodo Samariam Herodes reparaverit, & *abrogato vetere novum nomen Sebastes urbi imposuerit. In ejus*, ait, *meditullio fanum sesquistadii amplitudine esse voluit, modis omnibus ornatissimum, in quo templum exstruxit cum quovis alio pulcritudine & magnitudine conferendum.* Cap. XIII commemorat, quomodo insigni magnificentiâ Turrim Stratonis in Cæsaream commutaverit, & in eâ edificaverit *templum Cæsaris, è longinquo adnavigantibus conspicuum, habens statuas, unam Romæ, alteram Cæsaris:* quomodo itidem locum apud Panium & fontes Iordanis *alioquin celebrem ornaverit templo exstructo in honorem Cæsaris*, quamvis Iudæorum *animi offenderentur talibus operibus, quæ videbantur planè ad religionis & bonorum morum pernici-*

em ten-

em tendere, ut omnium jactabatur sermonibus. Libri XVI cap. IX additur, quòd *ludos Olympios*, in honorem Iovis ab Hercule institutos, *non satis respondentes suæ celebritati propter inopiam, adjuverit attributis annuis reditibus, quò splendidiùs & sacrificia fierent, & alia, quæ ad decorandum tam frequentem conventum pertinent.* Iisdem de rebus videri potest Belli liber primus, cap. XVI; ubi ista junctim narrantur, & hæc inter cætera habentur verba: *Prorsus non est idoneus regni locus, quem honore Cæsaris nudum reliquerit. Postquam verò fines suos templis replevit, in provinciam quoque honores eius effudit, & in multis civitatibus templa, quæ Cæsaria vocantur, constituit.* Cultui itaque Dei, quem unà cum ejus temporis Iudæis tamquam unicum, verum & æternum colebat, sive se colere simulabat, idololatriam satis crassam & manifestam adjunxit.

CXLV. Orat quidem Salomon, quum exstruxisset templum, *Extraneo etiam, qui non fuerit ex populo tuo Israel, veneritq; è terrâ longinquâ propter nomen tuum, quando adveniens orabit versus domum hanc, tu auscultato è cœlis, statione habitationis tuæ*: sed non est ullo modo verisimile, quòd intelligat alium, quàm unius veri Dei cultorem, qui exspectet semen, in quo benedicendæ omnes gentes terræ, proditurum ex Abrahami, Isaaci & Iacobi posteris; quorum famâ per orbem celebri excitatus ad hoc ab ipsis exstructum templum adoraturus venerit. Nihilominus postea invaluit, ut qui idololatriam missam non facerent, & propitium habere satagerent Deum, quem magnum esse & castis ceremoniis à Iudæis coli agnoscerent, ei pro suâ & suorum salute victimas offerri facerent. Sic Alexander Magnus *adscendens in templum Jerosolymitanum immolavit Deo ex sacerdotis præscripto*, ut est apud Iosephum in fine undecimi Antiquitatum; & nihilo

hilo minus consuetæ idololatriæ inhæsit. Sic Ptolemæus Philadelphus *mandavit pecuniæ pro sacrificiis & reliquis templi usibus centum talenta erogari.* Eleazarus Pontifex scriptis literis tribuit ei *pietatem, quâ colat Deum maximum.* Hæc Iosephus Antiq. XII, cap. II: ubi etiam recenset & describit donaria, *quæ Rex Deo misit, ut omnibus,* inquit, *nota fiat ejus Regis erga Deum pietas & liberalitas.* Si tamen idola sua colere non desiit, uti non est verosimile, idololatra permansit. Sosius postquam unà cum Herode Ierosolymam cepisset, *consecratâ Deo coronâ aureâ* discessit, ut legitur in fine XIV Antiquitatum. Marcus Agrippa ab eodem Herode Ierosolymam invitatus & deductus τῷ θεῷ ἑκατόμβην κατέθυσεν, *hecatomben Deo immolavit,* Antiq. libro XVI, cap. II. Belli libro secundo, cap. XVII memoratur, quòd moris semper fuerit, *eorum, qui foris essent, populorum munera suscipere, & hostias non prohibere;* ὅτι πάντες οἱ πρόγονοι τὰς ἀπὸ τῶν ἀλλογενῶν θυσίας ἀπεδέχοντο, *quòd omnes majores sacrificia exterorum admiserint.* Fuisse Romani belli occasionem, quòd *hostiæ Cæsaris pro Romanis offerri solitæ rejicerentur.* Ipse Cæsar Augustus *ordinavit è suis reditibus rite offerri quotidie altissimo Deo in holocaustum victimas, taurum & duos agnos; quæ hodieq; offeruntur,* ait Philo ante finem libri de legatione ad Cajum. Cæsares igitur & hi Romani Deo Iudæorum, hoc est, æterno & vero, cælorumque & terræ creatori eum honorem habuerunt: quia tamen Iovem, Martem, Quirinum & cæteros suos fictitios deos coluerunt, idololatræ esse non desierunt. Desiit autem esse Nahaman Syrus, ex quo apud animum suum firmiter constituit, se *non facturum holocaustum aut sacrificium diis alienis, sed DOMINO,* II Reg. V, 17.

CXLVI. Herodes quidem, ut idololatriæ suspicionem,

 nem,

nem, quam exstructis contra legē templis incurrebat, vel obrueret vel minueret, & se Iudaicæ religioni addictum demonstrans Iudæorum animos vel placaret vel sibi devinciret *decimo octavo regni sui anno* templum, quod reduces ex captivitate Babylonicâ ad pristinam majestatem evehere non potuerant, prorsus antiquo par, aut etiam augustius moliri constituit. Quum autem metuerent Iudæi, *ne fortè postquam destruxisset vetus ædificium, novum non posset absolvere, manere voluit vetus templum integrum, donec omnis ad futuram fabricam necessaria materia compararetur. Mille enim plaustra paravit, quæ lapides conveherent: & ex omni artificum copiâ peritissimos selegit ad decem millia, & insuper mille sacerdotes stolis sacerdotalibus suo sumtu vestitos, partim cementariam, partim lignariam fabricam edoctos; hosq; omnes adhibuit operi, materia jam ante convecta. Sublatis deinde veteribus fundamentis, & novis repositis desuper templum exstruebat.* Hæc omnia & plura alia eodem faciente Antiq. xv, cap. XIV: è quibus adjungere lubet, quæ modò subjicimus. *Herodes interiora, à quibus profani lege arcebantur, non ausus ingredi, per sacerdotes curabat fabricam intimarum porticuum: absolutoq; octo annis reliquo ædificio, tandem etiam templum ipsum eorumdem sacerdotum opera sesquianno perfecit.* Celebrata est igitur instauratio sive innovatio magnâ solennitate. *Rex trecentos boves Deo mactavit, & alii pro suis quisque facultatibus tantum victimarum, quantum vix comprehendi possit numero, fallente veram æstimationem earum multitudine.* Ita quidem absoluta est structura templi, & quæ cum eo proximiùs sive arctiùs cohærebant. Non tamen propterea desitum est ædificari, sed structura per annos complures continuata, insumtos in opera contigua vel annexa, ut demum finierit non multis ante πανωλεθρίαν annis. Quâ

de re

dere Antiquitatum ultimo, cap. penultimo: *Iam absolutum erat templi ædificium. Populus itaque quum videret esse in ocio circa octodecim opificum millia, solitorum hactenus in templo ex operarum mercedibus victum quærere, nolensq; sacram pecuniam repositam habere, ne quando Romanis præda fieret, simulq; opificibus inde provisum cupiens, quòd vel unâ horâ operato statim merces repræsentaretur; suasit regi* Agrippæ, Herodis Agrippæ (de quo Act. XII) filio, *cujus curæ fabricam templi Claudius Cæsar commiserat, ut orientalem instauraret porticum, quæ templi extima claudebat, profundæ valli & angustæ imminens, ac proinde subnixa muro quadringentos alto cubitos.* Rex autem *non annuit populi precibus, sed urbem candido saxo consternere non vetuit.* Quum igitur hoc ipso in templo, quod, sicut diximus, operibus ad id pertinentibus & appendicibus amplificari & ornari nondum desiisset, versaretur Servator; de hoc ipso, & non de aliis, quæ tunc non exstabant, & quibus etiam non quadrat, accipiendum erit, quod ei dicunt Iudæi, *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud?* Ioh. II, 20.

CXLVII. Mirari possit non nemo, unde Iudæis suppeterent tanti structuris impendendi sumtus. Non adducam, quòd *imposuerint sibi trientem sicli quotannis ad cultum domus Dei,* Nehem. X, 33: nam is si non colligatur aliunde, quàm ab inquilinis Iudææ, facilè in victimas, & quæ eò spectant, absumetur. Cæterùm dispersi jam erant Iudæi illis temporibus per totum orbem terrarum. Ex Strabone producit Iosephus, τόπον οὐκ ἔστι ῥᾳδίως εὑρεῖν τῆς οἰκουμένης, ὃς οὐ παραδέδεκται τοῦτο τὸ φῦλον, *non est facile invenire in orbe habitato locum, qui non receperit id genus hominum,* Antiq. XIV, cap. XII; ubi agit de immenso thesauro, quo templum Crassus spoliavit. *Nec est mirandum,* in-

dum, inquit, *tantas divitias in nostro templo fuisse, cujus Deum quum omnes ubique terrarum Iudæi venerentur ac colant, tam ex Europâ quàm ex Asiâ longo tempore huc eas contulerant.* Nempe undique à Iudæis per orbem dispersis mittebantur ad templum non modò consueta, sed etiam magna extra ordinem donaria. *Fulvia mulier nobilis Romana amplexa legem Iudaicam purpuram & aurum in templum misit:* sed Iudæi, quibus transferenda crediderat, in proprios usus verterunt. Id ubi Tiberius rescivit, *jussit universos Iudæos ex urbe pelli: ex quibus Consules delectu habito quatuor millia militum miserunt in Sardiniam*, Antiq. XIIX, cap. V. Quum coram Cæsare Augusto controversia inter Archelaum & populum Iudaicum tractaretur, legatis ex Iudæâ missis *adstiterunt plus quàm octo millia Iudæorum Romæ degentium*, Belli II, cap. IV. Concesserat enim eis bonam urbis trans Tyberim partem, ut paullò pòst ex Philone dicetur. Tantus Iudæorum numerus fuit in ipsâ urbe Româ: è quâ tamen facessere jussi sunt semel à Tiberio, ut modò fuit dictum; & iterum à Claudio, ut est Act. XIIX, 2; & apud Suetonium in Claudio, cap. XXV.

CXLIIX. Aurum Iudaicum Hierosolymam deportari solitum tangit Cicero oratione pro L. Flacco. *Quum aurum*, inquit, *Iudæorum nomine quotannis ex Italiâ & ex omnibus provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asiâ exportari liceret.* De Iudæis Mesopotamiam & Babyloniam incolentibus testatur Iosephus, quòd urbibus Naardâ & Nisibi ad Euphratem sitis usi fuerint ὥσπερ ταμιείῳ. *Iudæi*, inquit, *freti locorum naturâ sacrum didragma, quod Deo ex more solent offerre, cæteramque votivam pecuniam in his urbibus deponebant, tamquam in communi ærario, inde suo tempore transmittendam Hierosolyma*, Antiq. XIIX, cap. XII. CXLIX.

CXLIX. Quòd verò Iudæi per orbem terrarum dispersi fuerint, atque adeo veritati consonet, quod ex Strabone produxisse Iosephum paullò antè meminimus, nempe haut facilè inveniri locum τῆς οἰκουμένης, cui non insederint; id manifestò constat ex Actorum secundo, ubi memorantur Iudæi *ex omni natione eorum, qui sub cœlo sunt, Parthi & Medi & Elamitæ* sive Persæ, *& incolentes Mesopotamiam & Iudæam* strictè ita dictam, usamque dialecto, quæ à Galilæorum loquendi & pronunciandi modo differret, *Cappadociam, Pontum & Asiam* minorem, *Phrygiam & Pamphyliam, & partes Libyæ quæ est secundum Cyrenen, & advenæ Romani, Cretes & Arabes.* Sanctus Petrus priorem suam epistolam inscribit *advenis disp rsis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam;* (sine dubio διασπορὰ τῶν ἑλλήνων Iudæis dicitur, Ioh. VII, 35) sanctus Iacobus suam *duodecim tribubus dispersis:* de quibus sanctus Paulus, *Ad promissionem patribus nostris à Deo factam duodecim tribus nostræ, Deum nocte & die adsiduè colentes, sperant se deventuras,* Act. XXVI, 7. Per varias igitur, imò plerasque orbis habitati, præsertim Romani, gentes sparsi erant Iudæi, ut hæ ipsæ promtam & præsentem haberent opportunitatem dediscendi fœdam suam idololatriam cultumque fictitiorum numinum, & amplectendi cultum unici veri Dei, quem adorabant Iudæi, veramque religionem. Ptolemæus Lagi, primus Aegypti post Alexandrum rex, *Iudæis apud Alexandriam jus civitatis pari cum Macedonibus conditione dedit,* Antiq. XII, cap. I. De successoris Philadelphi in eos adfectu multa cap. II. *Seleucus* etiam *Nicanor, conditis à se per Asiam & inferiorem Syriam urbibus, in ipsa denique metropoli Antiochia jus civitatis eis dedit, voluitque pari cum Macedonibus ac Græcis jure ibi degere,* cap. III. Quin Philo-

metor rex Aegypti indulsit Oniæ potestatem in regione Heliopolitanâ templum Hierosolymitano simile in Iudæorum usus condendi, Antiq. XIII, cap. VI. Quamvis *Asiatici & Cyrenenses Iudæi à priscis regibus accepissent jus civitatis ex æquo cum cæteris, tamen multas injurias à Græcis patiebantur, quasi exportarent pecunias, & essent noxii reliquis civibus*, Ant. XVI, cap. X. Cæsar Augustus *concessit trans Tyberim bonam urbis partem teneri à Iudæis, quorum plerique erant libertini: quippe qui belli jure in potestatem redacti ab heris suis manumissi fuerant, permissi majorum ritu vivere. Hos sciebat habere suas proseuchas, in quibus cœtus facerent, præsertim sabbatis, juxta religionem patriam. Sciebat eos collectas primitiarum nomine mittere Hierosolymam, & certos homines, qui pro ipsis offerrent victimas.* Verba ista sunt Philonis, libro de legatione ad Cajum, ante medium. Cujus hac

Post init. de re alia ex libro contra Flaccum hîc audiri operæ itidem fuerit precium. Ἰουδαίους χώρα μία διὰ πολυανθρωπίαν οὐ χωρεῖ· ἧς αἰτίας ἕνεκα τὰς πλείστας καὶ εὐδαιμονεστάτας τῶν ἐν Εὐρώπῃ καὶ Ἀσίᾳ κατά τε νήσους καὶ ἠπείρους ἐκνέμονται, μητρόπολιν μὲν τὴν ἱερόπολιν ἡγούμενοι, καθ᾽ ἣν ἵδρυται ὁ τοῦ ὑψίστου θεοῦ νεὼς ἅγιος· ἃς δ᾽ ἔλαχον ἐκ πατέρων καὶ πάππων καὶ προπάππων καὶ τῶν ἔτι ἄνω προγόνων οἰκεῖν ἕκαστοι, πατρίδας νομίζοντες, ἐν αἷς ἐγεννήθησαν καὶ ἐτράφησαν· εἰς ἐνίας δὲ καὶ κτιζομένας εὐθὺς ἦλθον ἀποικίαν στειλάμενοι, τοῖς κτίσταις χαριζόμενοι. *Judæos una regio non capit propter hominum multitudinem: quamobrem plurimas ac fortunatissimas urbes in Europæ Asiæq; provinciis ac insulis incolunt, pro metropoli habentes sanctam civitatem, in quâ templum altissimo Deo sacratum est: avitas autem proavitasq; sedes colentes tanquam patriam, ubi nati educatiq; sint. in quibusdam etiam mox ut conditæ sunt immigrarunt, in conditoris cujusque gratiam.*

CL. Tales itaque Iudæi loca, in quibus nati & educati

ducati fuerant, vel cum familiâ suâ habitabant suisque rebus vacabant, tamquam patriam habebant. Sic se Paulus vocat Tarsensem, urbis in Ciliciâ non obscuræ civem, Act. XXI, 39; & natum Romanum civem, Act. XXII, 28. Aliquando tamen vel festi ergo, vel religionis accuratiùs cognoscendæ & studiorum gratiâ Hierosolymam adibant, & ibi aliquamdiu commorabantur: de qualibus loquitur Actorum caput secundum. Erant autem in urbibus, quas incolerent Iudæi, synagogæ, quæ etiam proseuchæ (Act. XVI, 13 & 16) appellantur, ab advenis adiri solitæ. Quibus ne quidem græcos & gentiles excludebant aut prohibebant, ut intelligere est ex Act. XIII, 44; & XIV, 1; XVII, 4; XIIX, 4. Satagebant enim suam religionem quibuscumque dissentientibus persuadere. *Circumitis mare & aridam*, id est, adsiduam & indefessam operam adhibetis, *ut faciatis unum proselytum*, ait Servator Matth. XXIII, 15. Ejusmodi Hierosolymis erat *synagoga, quæ dicitur Libertinorum*, fortè à libertinis, quales Philonem memorasse paullò antè diximus, instituta; ad quam accesserunt *quidam Cyrenæorum, & Alexandrinorum, & eorum qui ex Ciliciâ & Asiâ*, Act. VI, 9.

CLI. Hæc erat facies rerum Iudaicarum tum ecclesiasticarum tum civilium, quum nasceretur Servator mundi, Iesus Christus: quam bene cognitam ad complura rectiùs intelligenda profuturam existimamus. E tribus autem sectis, quæ post reditum è captivitate Babylonicâ exortæ erant, Pharisæorum & Sadducæorum in scriptis Novi testamenti satis frequens mentio: nulla verò Essenorum, sine dubio quòd sibi privatim vicerent, & publico abstinerent. Accreverat, quando post relegatum Archelaum à Quirinio census exigebatur, quarta; cujus auctores Iosephus facit Iudam Galilæum

& Sad-

& Saddocum Pharisæum. *Cætera*, inquit, *cum Pharisæis consentiunt, nisi quòd constantissimo libertatis amore flagrant, credentes solum Deum dominum habendum & principem, & faciliùs exquisitissima pœnarum genera laturi cum cognatis suis ac carissimis, quàm mortalem aliquem appellaturi dominum*, Antiq. XIIX, cap. II. Adde Belli II, cap. VII: *Indigenas increpabant, quòd paterentur pendi Romanis tributum, & post Deum ferri mortales dominos.* Eâdem sententiâ imbuti fuisse videntur, qui quum Servator diceret, *Veritas vos in libertatem vindicabit*; *responderunt*, *Semen Abrahami sumus, nec ulli servivimus umquam: quomodo tu dicis, Vos in libertatem vindicabimini?* Ioh. IIX, 33.

CLII. Natus est autem Servator mundi Iesus Christus è benedictâ virgine matre, superveniente in eam Spiritu sancto, sub finem vitæ & sævitiæ Herodis, imperante Romano orbi Cæsare Augusto, decimo sexto ante ejus obitum anno, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ut est Lucæ II, 2. Quintilius quidem Varus præses tunc erat Syriæ, Saturnino datus successor, Antiq. XVII, cap. VII. Quum autem ab Augusto Archelaus Viennam Galliæ relegaretur, & ethnarchia Iudææ strictè dictæ, hactenus Archelao concessa, in provinciam regimini Procuratorum Cæsaris subditam redigeretur; tum demum, *ditione* videlicet *Archelai attributâ Syriæ, missus est illò à Cæsare Quirinius, vir consularis, qui censum ageret per Syriam, & Archelai domum & bona venderet.* Ita in fine XVII Antiquitatum Iosephus. Decimum octavum ab his verbis orditur: *Quirinius senator Romanus, per omnes honorum gradus ad consulatum usque provectus, & in primis clarus, à Cæsare mittitur in Syriam, ut jura populis redderet, facultatesque censeret omnium: & cum eo venit Coponius, præfectus turmæ equitum, penes quem esset totius Judææ administratio. Quin & ipse Quiri-*

Quirinius in Judæam venit jam attributam provinciæ Syriæ, ut percenseret facultates ejus regionis civium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret. Quando itaque Quirinius Præses Syriæ sit factus, ex his manifestum, nempe post Archelaum Viennam relegatum, quum Coponius constitueretur Procurator Cæsaris in Iudæâ. Ex quo qui Coponio successerunt, itidem omnes Procuratores fuerunt; & Agrippæ Major atque Minor quamvis Reges creati & appellati fuerint, Iudæa tamen propriè dicta, quæ pridem provincia Cæsaris facta erat, ab eorum regno disjuncta Procuratoribus parebat. Qui strictiore vocabulo ἐπίτροποι dicuntur, uti Præsides ἡγεμόνες. Cæterùm in sacris Novi fœderis libris discrimen non observatur; & Pilatus atque Felix, qui non nisi Procuratores erant, ἡγεμόνες ubique appellantur. Iustinus autem Apologiâ, quæ posteriore loco in codicibus ponitur, ad Cæsares verba faciens, *quòd Bethlehem*, ait, *vicus quidam sit in regione Iudæorum, intelligere potestis* ἐκ τῶν ἀπογράφων τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου, *ex descriptionibus, quæ sub Cyrenio primo vestro in Iudæa procuratore sunt confectæ.* Ab Augusto igitur, antequam ab eo Syriæ præses constitueretur, in Syriam & vicinam Iudæam missus fuit ἀπογραφῆς faciendæ ergo; quæ nulli tumultui caussam præbuit, quum esset sine exactione, hoc saltem fine suscepta, ut cognoscerentur vires & opes imperii. Altera verò post relegatum Archelaum instituta, quæ reapse censum exigebat, motus excitavit & quartam sectam, ut paullò ante fuit dictum, toti Iudææ perniciosam. Priore itaque vice ad curandum unum illud peculiare ἀπογραφῆς negocium misso suffecisset titulus ἐπιτρόπου, quo utitur Iustinus: sed sicut dicit Lucas, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας,

 sic

ſic etiam dicit ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Quin Ioſephus etiam Pilatum & alios Iudææ procuratores ἡγεμόνας appellat Antiq. XIIX, cap. IV.

CLIII. Natus autem octo dies Ieſus Meſſias, circumciſus eſt juxta pactum & præceptum, quod Abrahamo datum, & per Moſen Levit. XII, 3 repetitum, & hactenus à Iudæis religioſè obſervatum erat. Abſque circumciſione enim ſi fuiſſet, à Iudæis profanus & legis divinæ contemtor habitus eſſet. *Poſtquam venit plenum tempus*, ſive poſtquam expletum eſt tempus, quod divinitus præfinitum & conſtitutum erat, *emiſit Deus Filium ſuum*, *factum* ſive natum *ex muliere* virum non expertâ, *factum legi* ex patris voluntate & decreto *ſubjectum*, unde octavo die circumciſus eſt, quadrageſimo in templo oblatus, ſolennia feſta frequentavit & legis ceremonias obſervavit, *ut eos qui ſub Lege erant*, qui hactenus hujuſmodi ſervituti per legem impoſitæ obnoxii fuerant, & tamquam ſub tutoribus & curatoribus vixerant, *redimeret*, ſive à tali ſervitute tutelaque eximeret, & in libertatem adſereret, *ut adoptionem acciperemus*, plenam ſcilicet & perfectam, per quam haberemur tamquam filii adulti, curatore non ampliùs egentes, Gal. IV, 4 & 5.

CLIV. Duodecimum agens annum ſpecimen edidit, è quo intelligi poterat, eum præ aliis mortalibus eminere, & alium quàm vulgò putaretur Patrem, cujus res ſpirituales ei curandæ eſſent, habere: inventus videlicet poſt triduum *ſedens in medio magiſtrorum, & audire eos & eos interrogare. Percellebantur autem omnes qui eum audiebant, ſuper intelligentiâ & reſponſis ejus.* Compellatus à matre reſpondit, *Se oportere in iis eſſe, quæ Patris ſui ſint.* Quod tamen illa tunc *non intellexit. Deſcendit autem venitq́;* cum matre & Ioſepho, cujus exiſtimabatur

Lucæ, I, 45 & ſeqq.

batur

batur esse filius, *Nazaretham, & erat eis subjectus*: nempe etiamsi se parentibus superiorem ostenderat, & obsequium, quod Patri cœlesti debetur, omnibus aliis anteferendum declaraverat, exemplo tamen suo docere etiam voluit, quid carnalibus parentibus debeatur.

CLV. Decimoquinto anno Tiberii Cæsaris, quum jam ipse *incipiebat esse quasi annorum triginta*, exorsus est publicum suum ministerium, prodromo tamen & parario Iohanne, qui Baptistes vocatur. Is erat *vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas ejus*, Ies. XL, 3: Matth. III, 3; Marci I, 3; Lucæ III, 4; Ioh. I, 23. Is erat angelus sive nuncius, de quo Malachiæ III, 1: *Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam ante te*, Marci I, 2; Matth. XI, 10; Lucæ VII, 27. Imò is Elias erat. *Ipse est Elias, qui venturus*, affirmat disertè Servator Matth. XI, 14. nempe Elias, de quo in fine libri, qui sub vetere testamento postremus à propheta prodiit: *Ecce ego missurus sum vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & reverendus; ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipsorum*, Mal. IV, 5. Iunge verba & interpretationem Servatoris Matth. XVII, 12; Marci IX, 13, Quin etiam Angeli ad parentem Zachariam Lucæ I, 16: *Multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum; & ipse præcedet ante eum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & contumaces ad prudentiam justorum.* Hinc etiam ipse parens Zacharias in suo cantico: *Tu puerule propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus: & des cognitionem salutis populo ejus, per remissionem peccatorum ipsorum.* Nisi enim remittantur peccata, salus obtingere nequit. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates &*

quorum obtecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputaverit Dominus peccatum, Psal. XXXII, 1; Rom. IV, 7.

CLVI. Quod nunciat Angelus, *Vinum & siceram non bibet*, id est, austeram vitam aget, oblectamentorum omnium & illecebrarum expertem; id etiam reapse ita se habuit. Fuit enim *in desertis ad eum usque diem, quo se ostenderet Israëli*, sive in publicum alloquendi populi ergo prodiret, Lucæ I, 80. *Habebat indumentum suum è pilis camelinis, & Zonam coriaceam circum lumbos suos. alimentum autem ejus erant locustæ*, quæ edi permissæ Lev. XI, 22; *& mel agreste*, Matth. III, 4; Marci I, 6. Hinc Servator Lucæ VII, 33; Matth. XI, 18: *Venit Iohannes baptista neque edens panem*, ut vulgò & in conspectu aliorum ad saturitatem usque edi consuevit, *neque bibens vinum; & dicitis, Dæmonium habet. Venit Filius hominis edens ac bibens*, & invitatus ab aliis ad eorum prandia dignatur accedere; *& dicitis, Ecce homo edax & vini potor, amicus publicanorum ac peccatorum.*

CLVII. Quum autem peccatis suis populus passim indormiret, *Johannes in deserto Iudææ prædicans* sermonibus publicè habitis ad pœnitentiam eum excitavit, *dicens, Agite pœnitentiam: appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. III, 2. nempe Messias, in quem conjectâ fide pœnitentia demum salutaris est, jam adest. Si igitur umquam agenda fuit pœnitentia, nunc agenda erit; & præsentia Messiæ agnoscenda & per fidem ei habitam honoranda. Iohannes enim ita prædicabat pœnitentiam, ut eum, per quem pœnitentia salutaris efficitur, venisse & præsentem esse doceret & monstraret: quod ante eum nullus propheta fecerat, nec facere potuerat. Hinc affirmat Servator, eum *plus esse quàm prophetam*, Matth. XI, 9; Lucæ VII, 26: *nec esse quemquam suscitatum inter*

inter genitos communi modo *è mulieribus, majorem Iohanne baptista.* Itaque *prædicabat dicens, Venit ponè me, qui validior me est, cujus non sum dignus, qui incurvatus solvam corrigiam solearum. Ego quidem baptizavi vos aquâ: ipse verò baptizabit vos Spiritu sancto,* Marci 1, 7. Nempe quum mea actio non sit nisi ministerium, ipse spiritualem effectum suppeditat: quin faciet, ut cum baptismo dona sensibilia Spiritus sancti conjungantur, sive in fideles copiosè effundantur. Quamobrem pronunciat Servator ipse: *Iohannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non multis post diebus,* Act. 1, 5. Quando Cornelius centurio cum suis audierat prædicantem Petrum, *illapsus est Spiritus sanctus in omnes sermonem audientes:* & cœperunt *loqui linguis ac magnificare Deum,* Act. x, 44 & 46. Tunc, ait Petrus, *recordatus sum illius dicti Domini, quum diceret, Iohannes quidem baptizavit aquâ, vos verò baptizabimini Spiritu sancto,* Act. xi, 16. Effert quoque Baptista ipse in hunc modum: *Ego quidem baptizo vos aquâ, sed ille vos baptizabit Spiritu sancto & igne,* Matth. iii, 11; Lucæ iii, 16: designans effusa in Apostolos sensibilia Spiritus sancti dona die Pentecostes, quum *visæ sunt eis dispertitæ linguæ instar ignis, qui etiam sedit super unumquemque eorum,* Act. ii, 3.

CLIIX. Præcipuum autem axioma Iohannis Baptistæ fuit, quòd inter prophetas sive doctores primus Messiam, quem jam inde à recepto in gratiam Adamo per quater mille annos Patres exspectaverant, adesse docuit, imò monstravit. Quin si Propheta capiatur sensu stricto, pro eo qui ventura prædicat, fuerint quidem ante eum prophetæ, (*nam omnes prophetæ & ipsa lex usque ad Iohannem prophetarunt,* sive venturum Messiam prænunciarunt & præfigurarunt, Matth. xi, 13) sed ipse,

quod adventum Messiæ attinet, non propheta, sed major prophetâ. Messias autem exspectabatur, qui destructurus esset opera diabolii, miseroque humano generi remissionem peccatorum & benedictionem sive salutem promeriturus. Id totum sibi de eo pollicebantur prisci patres, & hac in venturum fide salvabantur. Nam *per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illi* servabantur Act. xv, 11. Bene Augustinus epistolâ xcix, quæst. 11: *Ab exordio generis humani quicumque in eum crediderunt, eumq; utcumque intellexerunt, quandolibet & ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt.* Quando itaque præsens sistebatur, eum necesse erat credi illum, per quem haberetur remissio peccatorum, & in quem eo fine fiducia collocanda. Sed neque remissio peccatorum haberi poterat, nisi ageretur pœnitentia, à delictis perpetrandis abstineretur, & opera daretur servandis præceptis divinis, tum fugiendo malum, tum faciendo bonum. Iohannes igitur, quando Iesum populo indicabat, & quasi digito monstrabat, dixit, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi,* Ioh. 1, 29 & 36: testatus est, *eum esse Filium illum Dei*, v. 34: & propterea ita omnino credendum esse, & in eo fiduciam obtinendæ remissionis peccatorum & spem consequendæ æternæ salutis figendã esse. *Quum videret multos ex Pharisæis & Sadducæis*, quorum nequitiam cognitam haberet, *ad baptismum suum venire*, duriter eos increpavit, & *progeniem viperarum* appellavit. *Quis vobis*, inquit, *præmonstravit, ut fugeretis à futurâ irâ* & imminente vobis æternâ damnatione? Quasi dicat, De vobis id sperari non poterat; tanta fuit vestra hactenus improbitas & pravitas. Vt igitur pœnitentia vestra seria sit & fine suo non excidat, *facite fructus dignos pœnitentiâ. Et ne putate vobis dicendum apud vos ipsos,*

Patrem

Patrem habemus Abrahamum; quasi nisi vobis status filiorum Abrahami tamquam proprius & perennis attribuatur, Abraham nullos habiturus sit filios: *dico enim vobis, Deum etiam posse ex lapidibus istis excitare filios Abrahamo*, id est, creare & producere homines, qui credant sicut credidit Abraham, *pater omnium credentium*, undecumque tamdem illi venerint aut orti fuerint. *Iam verò etiam securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum exscinditur, & in ignem conjicitur. Is qui ponè me venit, perpurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inexstincto*, Matth. III, 7 & seqq. Sic ob oculos positâ æternâ damnatione à peccando deterret. Excitat autem ad exercendam caritatem, *Qui habet*, inquit, *duas tunicas, impertiat non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Præscribit publicanis & militibus, quomodo munia sua obire innoxiè debeant, & *multa etiam alia exhortans evangelizabat populo*, Lucæ III, 8 & seqq. Rom. 4, 11.

CLIX. Breviter omnem rem complectitur Lucas, quum dicit, *Prædicavit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Remissio peccatorum & cum eâ conjuncta hæreditas æternæ salutis est supremus finis à parte hominis. Is obtinebatur fide in Christum, qui venisse prædicabatur & adesse monstrabatur. Fides antem sibi constare non poterat, nisi ageretur pœnitentia. Sic demum fiebat remissio peccatorum, sive mundatio & ablutio. Quòd verò certa esset & firma, confirmabatur baptismo sive ablutione per aquam factâ, hoc fine divinitus institutâ. nam *baptismus Iohannis erat è cœlo*, Lucæ XX, 4. Fuerant quidem sub antiquo pacto *diversæ ablutiones*, sed non facientes nisi *ad carnis puritatem*, Hebr. IX, 10 & 13; sive ut ad terrenos cœtus & congregationes ab-

luti

luti admitterentur, & immundi non haberentr: at baptiſmus Iohannis confirmabat & obſignabat remiſſionem peccatorum, quæ in judicio divino fieret, & aditum ad cœleſtes cœtus aperiret. Hunc ſuſcipere, & ſuſcipiendo conſecrare & ſanctificare voluit ipſe Meſſias; quamvis eum Iohannes *prohibebat* & ægrè admittebat, quòd exiſtimaret non convenire, ut qui innumeris modis ſuperior eſſet, ab inferiore baptizaretur; & præterea nullo baptiſmo indigeret, qui nulli peccato eſſet obnoxius. Non noverat quidem eum de facie, ſive ex aliquâ converſatione vel familiaritate: hactenus enim diverſiſſimis locis vixerant, Iohannes in deſertis Iudææ, Ieſus Nazarethæ in Galilæâ. Hinc igitur Iohannes: *Ego non noveram eum*, ſive quiſnam inter tot homines eſſet diſcernere non poteram; neque enim umquam convictu vel congreſſu aliquo uſi eramus: *ſed qui miſit me ut baptizarem aquâ, ille mihi*, quum juberet, ut baptizandi miniſterium aggrederer, infallibile ſignum indicaverat & *dixerat*, Inter eos, quos baptizabis, *ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem, hic eſt* Meſſias, *qui baptizat Spiritu ſancto*, Ioh. 1 33. In eo ſtatu res permanſit, donec *venit Ieſus à Galilea ad Iordanem ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo.* Tunc quidem illum divino inſtinctu agnovit Iohannes, *dicens, Mihi opus eſt ut à te baptizer, & tu venis ad me?* Matth. III, 14. Mox autem ſubſequutum eſt divinum illud ſignum pridem indicatum, per quod cognitionis certitudo aucta eſt, & modo planè eximio confirmata. Dicit itaque Iohannes: *Ego non noveram eum*, quum inciperem baptizare; *ſed ut manifeſtetur Iſraëli, propterea veni ego baptizans aquâ*, Ioh. 1, 31. Quaſi dicat, Meum miniſterium, quod inprimis actu baptizandi nobilitatur, unde etiam ego Baptiſta nominor, ideo divi-

nitus

nitus est institutum, ut per id fiat initium Messiæ populo palàm & publicè manifestandi; & proinde etiam initium aliquod promulgandi Novi testamenti. Sic enim divinæ providentiæ placuit. Interim nondum fuit Vetus abolitum vel abrogatum, quia nondum erant consummata, quæ Messiam agere & pati oportebat. Permanebant igitur & peragebantur adhuc omnia juxta priscum morem, & conjungebantur sive simul decurrebant extrema Veteris & primordia Novi. Hinc Nazianzenus oratione in sancta lumina Baptisten vocat παλαιᾶς καὶ νέας μεσίτην, *medium & interjectum inter Vetus & Novum testamentum*. Orat. 39.

CLX. Iohanni verò recusanti admittere *respondit Jesus, Sine modò: sic enim decet nos implere omnem justitiam*; & nonmodò omne quod justum est ex necessitate, sed etiam quod ex decentiâ. Recipiens circumcisionem approbavi illud Veteris testamenti sacramentum: nunc etiam recipiens Baptismum consecrabo & sanctificabo sacramentum Novi, quod in locum Circumsionis succedet. Et sanè, quum ipse baptizari voluerit, neminem admisit discipulum, nisi qui baptizatus esset, ut membra capiti congruerent, & societas sibi invicem responderet. Quũ autem ipsi baptismus à Iohanne collatus sufficerit, quidni etiam aliis? Eodem verò tempore, quo baptizabat Iohannes, baptizare quoque cœpit Iesus. Et quidem *plures discipulos faciebat, & baptizabat, quàm Iohannes: quamquam ipse non baptizabat, sed discipuli ejus*, Ioh. IV, 1. Aequipollebat igitur alter baptismus alteri: aut maxima fuisset orta confusio & perturbatio; nec discipuli Iohannis, qui ad magistrum suum deferebant baptismum Christi, anabaptismum tacuissent. *Audito Iohanne, totus populus & publicani justificarunt Deum, baptizati*

Z

ptizati baptismo Iohannis, Lucæ VII, 29: nec quisquam eorum alio baptismo imbui umquam legitur vel deprehenditur. *Apollos Iudæus, genere Alexandrinus, vir eloquens, erat initiatus viâ Domini, sciens tantùm baptisma Iohannis*, sive quæ Iohannes, quum baptismum conferret, de Iesu docebat, nempe eum esse Christum. Hunc *Aquila & Priscilla adsumserunt, & penitiùs exposuerunt viam Dei*, Act. XIIX, 23, 25, 26; non autem novo baptismo imbuerunt. *Iohannes baptizavit baptismo pœnitentiæ, dicens populo, ut in eum, qui venturus erat post ipsum*, & jam aderat, *crederent, hoc est in Christum Iesum. Qui verò audierunt, baptizati sunt in nomen Domini Jesu*, Act. XIX, 4. Loquutio convenit cum eâ, quæ est Lucæ VII, 29.

CLXI. Iesus quum jam baptizatus, & descensu Spiritus sancti in columbæ specie super ipsum venientis, peculiariter Iohanni, juxta oraculum pridem factum, demonstratus; quin cœlesti voce Patris cœlestis *Filius dilectus, in quo*, tum quod ipsum, tum quod ipsi unitos & addictos attinet, *acquiescat*, gloriosè declaratus esset; *statim subductus fuit in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo*, Matth. IV, 1; Marci I, 12; Lucæ IV, 1: atque ita nobis præiret, & tentationes sustinere doceret. Nempe *debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis pontifex. nam ex eo quod perpessus fuit quum tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere.* Igitur *non habemus pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque tamen peccato*; Hebr. II, 17, 18; IV, 15; atque adeo verè dicere possit, *Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam*, Ioh. XIV, 30. Interea Iudæi quum ægrè ferrent Iohannem novum baptizandi ritum ordiri, mittunt ad eum ex Pharisæis sacerdotes & Levitas sciscitatum, quâ auctoritate id faceret,

ceret, & num Messias esset. Ille verò respondet, Se non esse, sed *ponè se venire, qui sit sibi antepositus*, qui sit Messias, *cujus corrigiam solearum non sit dignus solvere*, Ioh. 1, 19 & seqq.

CLXII. Altero post hanc legationem die redit à superatâ tentatione Iesus; quem quum ad se venientem Iohannes videret, ait, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*: atque ita palàm ipsum individuum cuivis indicat & ostendit, & testatur, eum esse Filium illum Dei, sive promissum Messiam & Servatorem mundi. Agnorum frequens usus in priscis sacrificiis, etiam propitiatoriis. Quod igitur Agnum dixit, hoc ipso indicare voluit summam ejus mansuetudinem & patientiam. *Sicut ovis ad mactationem ductus est, & sicut agnus coram tonsore suo mutus ita non aperuit os suum*, Act. IIX, 32 ex Ies. LIII, 7. Quod autem Iesaias dicit, *Dominus conjecit in eum iniquitatem omnium nostrûm*; hoc ipso docuit eum esse agnum Dei, hoc est, à Deo deputatam & designatam victimam, quæ peccata nostra tolleret, tum quoad reatum, ne propter ea condemnemur, tum quoad continuationem, ne in iis perseveremus, & rursus salute excidamus. Vnde sanctus Petrus 1 ep. 1, 18: *Sciatis vos non corruptibilibus argento vel auro redemptos esse ex vanâ illâ vestra conversatione, à patribus* haut verâ fide imbutis *traditâ* & ad vos derivata: *sed precioso sanguine, utpote agni immaculati & incontaminati Christi*. Per hunc itaque sanguinem Deus præstat utrumque, sive peccatum mundi utroque modo tollit, & redimit suos tum à damnatione, quæ peccato debetur, tum à pravâ conversatione & studio peccandi, cui si inhærerent, damnationem evadere non possent. Iohannis baptistæ phrasin sequi videtur Apocalypsis Iohannis evangelistæ, quâ nomine Agni

Servator frequenter indicatur. *Agnus stans tamquam mactatus*, Apoc. v, 6: coram quo procidentes viginti quatuor seniores *cecinerunt canticum novum, dicentes, Dignus es, qui accipias librum, & aperias ejus sigilla, quoniam mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes.* Quin mox ab *omni creaturâ, quæ in cœlo, & quæ in terrâ & sub terrâ & in mari*, ei *qui insidet throno, & Agno* par & eadem tribuitur *benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Ne enim, quia Agnus dicitur, ei robur deesse videatur, appellatur etiam *Leo de tribu Iuda*, Apoc. v, 5. Sicut autem antea fuit dictum, quòd mactatus redemerit nos Deo per sanguinem suum; ita quoque postea dicitur, quòd qui *venerunt ex afflictione magnâ, laverint & dealbarint stolas suas in sanguine Agni*, Apoc. vii, 14: quòd fideles *vicerint draconem illum magnum & serpentem antiquum per sanguinem Agni*, Apoc. xii, 11. Memoratur *Agnus stans super montem Sion*, Apoc. xiv, 1; & deinceps alibi sæpe hic Agnus adducitur.

CLXIII. Die proximè subsequuto *iterum stabat Johannes, & ex discipulis ejus duo*, & intuitus Iesum ambulantem repetiit, *Ecce Agnus Dei.* Duo illi, quorum unus erat Andreas, frater Simonis Petri, sequuti sunt Iesum, & apud eum die isto manserunt. Andreas autem, quum incidisset in fratrem suum Simonem, dixit *Invenimus Mesiam*; & eum adduxit ad Iesum, ex quo audiit, sibi nomen Cephæ vel Petræ inditum iri. Ita Andreas & Simon Petrus cœperunt in Iesum credere, & in ejus notitiam ac aliquam familiaritatem venire, & sermonibus adsuescere. Ad suos tamen & consuetum vitæ genus redierunt, ex capturâ piscium victum quærentes. Postero die Iesus, quum in Galilæam haut procul à loco, ubi

ubi Iohannes baptizabat, dissitum abiturus esset, priùs à Philippo & Nathanaële agnitus fuit. Hæc Ioh. I, à v. 35 usque ad finem. Quum igitur deinde post aliquantum tempus in Galilæâ versaretur, & apud lacum Genezaret Simonem unà cum aliis retia sua abluentem invenisset, tamquam notum & addictum compellat, & *in ejus navigium ingressus rogat, ut à terra provehat paullulum; quumq́; consedisset, docebat turbam ex navigio.* Inde jubet in altum provehi, & retia ad capturam demitti: capiturque ingens multitudo piscium. Simon autem territus, ne sibi ex consortio, quo indignus esset, aliquid adversi obtingeret (sicut etiam vidua Sareptana, I Reg. XVII, 18) *procubuit ad genua Iesu dicens, Discede à me: nam homo peccator sum Domine.* Audit autem, *Ne metue: ab hoc tempore vivos homines capies.* Concernebant verò hæc etiam ipsa socios Simonis, Iacobum & Iohannem filios Zebedæi. *Illi itaque quum in terram subduxissent navigia, relictis omnibus sequuti sunt eum,* facti jam demum ex fidelibus individui comites, & sub eo, qui non modò magister sed etiam quasi paterfamilias esset, adsidui tum discipuli tum domestici. Hæc omnia Lucæ v, ab initio capitis usque ad v. 12. Contractiùs quidem illa narrantur Matth. IV, 18 & seqq. quibus consonant Mar. I, 16 & seqq. sed res utrobique eodem recidit. Andreas & Simon *statim omissis retibus sequuti sunt eum,* Matth. IV, 20. Iacobus filius Zebedæi & Iohannes frater ejus *statim omisso navigio & patre suo sequuti sunt eum,* Matth. IV, 22. Omnes autem isti quatuor in numerum duodecim, qui peculiariter Apostoli audiebant, deinceps allecti sunt, Matth. X, 2; Mar. III, 15; Lucæ VI, 13. Sed ista cuncta post aliquod temporis intervallum contigerunt.

CLXIV. Die tertio postquam à Iohanne Baptista

discesserat vel in Galilæam venerat, in nuptiis in Cana Galilææ factis, quibus ipse cum matre & discipulis (discipulos igitur jam tum aliquos habebat) intererat, aquam in vinum commutavit. *Hoc initium signorum fecit, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus*, Ioh. II, 11. Prope autem tunc erat Pascha Iudæorum, ad quod Hierosolymam adscendit, è templo venditores boum & ovium & columbarum & nummularios ejecit: ubi *multi crediderunt in nomen ejus, spectantes signa, quæ edebat.* Tunc etiam habitum fuit nocturnum cum Nicodemo colloquium. Ex Hierosolymâ *venit ipse & discipuli ejus in Iudææ territorium, & illic morabatur cum eis & baptizabat. Baptizabat autem etiam Iohannes in Aenon prope Salim: nondum enim erat conjectus in carcerem.* Cujus discipuli quum ad eum rem detulissent, respondet, se pridem dixisse, *Non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me verò minui.* Vide Ioh. III. Iesus autem *reliquit Iudæam, & abiit rursus in Galilæam*: quo tempore & occasione videtur contigisse solennis illa Simonis & Andreæ, filiorumque Zebedæi vocatio paullò antè memorata. *Oportebat autem eum transire per Samariam*: habuitque juxta Sichar colloquium cum muliere Samaritanâ, & à multis
Ioh. 4, 42. ejus urbis civibus agnitus est esse *Servator mundi Christus.* Quum in Galilæam venisset, ab iis, qui præterito Paschæ festo signa ejus Hierosolymis viderant, exceptus est. Restituit autem sanitatem regii cujusdam filio decumbenti Capernaumi absens, quum ipse esset in Canâ. Hoc fuit secundum signum, quod in Galilæâ edidit. Vide Ioh. IV. Quando Iohannes in carcerem conjectus

jectus

conjectus fuerit, disertè non indicatur. Lucæ III, 19 & 20 anticipando commemoratur: decollatio ejus in occasione, post rem jam antè peractam, Matth. XIV; Marci VI, 17 & seqq. Dum in carcere detinetur, duos ex discipulis suis ad Servatorem mittit sciscitatum, *Tune is es, qui venturus erat, an alium exspectabimus?* non quòd ipse dubitaret, sed ut ansam præberet dubitationem aliis eximendi: Matth. XI; Lucæ VII, 19 & seqq. Iohannes quidem Evangelista exponit sermones habitos & miracula facta à Christo ante Baptisten in custodiam datum: cæteri autem tres Evangelistæ narrationem eorum ab illâ custodiâ vel post illam ordiuntur.

CLXV. Quæ verò docere cœperat prodromus Baptista, eadem à Christo porrò repetuntur, uberiùs inculcantur & plurimis maximisque signis & miraculis, qualia nulla Baptistes ediderat, confirmantur, animisque hominum quasi ingeruntur & imprimuntur. Prædicaverat Baptista, *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. III, 2: eodem modo prædicat Christus, Matth. IV, 17. Marcus in hunc modum proponit: *Iesus venit in Galilæam, prædicans evangelium regni Dei & dicens, Expletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: agite pœnitentiam & credite evangelio.* Cap. I, 14. Quod ipsum, sicut modò audivimus, appellatur *evangelium regni Dei*, & simpliciter *evangelium regni*, Matth. IV, 23; IX, 35; XXIV, 14: regni videlicet non terreni, sed spiritualis, Quale *regnum Dei intra homines est*; & *non venit, ut* ab aliis, ad quos non attinet, *observari possit*, Lucæ XVII, 21 & 20. Nempe *regnum Dei est justitia, & pax, & gaudium per Spiritum sanctum*, Rom. XIV, 17: quod ut ad nos adveniat, oratione Dominicâ precamur. Dicitur igitur *Evangelium regni*, quòd per id prædicatum & ab auditoribus admissum

missum ac creditum, regnum Dei, quale diximus, ad eos perveniat; de quo Matth. VI, 33: *Quærite primò regnum Dei.* Per idem quoque evangelium colligitur Christo in hisce terris Ecclesia, quæ appellatur regnum cœlorum, præsertim in parabolis, quando regnum cœlorum dicitur simile esse homini serenti, grano sinapis, fermento, regi conferenti rationes cum servis suis, facienti nuptias filio suo, Matth. XIII, XIIX, XXII. Hoc est, in Ecclesiâ, quæ Christo in hisce terris per Evangelium colligitur, ad eum modum, qui in istis parabolis adumbratur, res se habet & agitur. Colligitur quidem in terris, & interim tamen non est regnum terrenum, sed cœlorum sive cœleste, quod videlicet nec acquiritur, nec administratur vel potestate vel mediis, quibus regna hujus mundi innituntur, sed prorsus aliis, cœlestibus aut spiritualibus. *Regnum meum non est ex hoc mundo*, ait Christus ipse Pilato: *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certassent, ne traderer Iudæis; nunc autem regnū meum non est hinc. Ego ad hoc genitus sum, & ad hoc veni in mundum, ut dem testimonium veritati* hominibus ad consequendam salutem cognitu & creditu necessariæ. Ab hac plenè manifestandâ, propagandâ & conservandâ pendet amplitudo & robur regni mei, quod non est ex hoc mundo, & proinde aliis, quàm mundanis fundamentis inædificatur. Nihilominus regnum terrenum, quod feliciter & fortiter gesserat ex progenitoribus ejus David, typus erat hujus cœlestis & spiritualis regni. Hinc ad sanctissimam virginem matrem archangelus Gabriel: *Dabit ei Dominus sedem Davidis, patris ipsius, regnabitque in domo Iacobi in æternum, & regni ejus non erit finis*, Lucæ I, 32. Nempe novum hoc suum regnum ipse Christus in terrâ præsens incoavit, & deinceps è terrâ sublatus adversus

portas

portas inferorum tuetur, apud suos hujus ipsius regni fir- Matt.16,18.
mandi & conservandi ergo suâ gratiâ, potentiâ & providentiâ permanens *omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* Matth. ult. v. ultimo.

CLXVI. Quum primùm adveniret, sive in primo suo humili adventu *despectus & abjectus* fuit, Ies. LIII, 2; *ipse se submisit, factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis: quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem,* Phil. II, 8 & 9: *gloriâ & honore coronavit,* Hebr. II, 9. Quod gloriæ regnum à resurrectione ejus init; potissimùm verò adscensione in cœlos consummatur. *Nam oportet eum* sedere ad dexteram Dei Patris, id est, *regnare, usquequo* ille *omnes inimicos subjecerit pedibus ejus,* sive usquequo divina potentia, quam ipse cum Patre communem habet, omnes hostes Ecclesiam impugnantes & infestantes subegerit & aboleverit. *Postquam verò subjecta ei erunt omnia,* ut nunc nullus porrò hostis negocium facessat, cunctis per secundum gloriosum adventum & supremum judicium domitis & oppressis, *tunc & ipse Filius,* quatenus cum Ecclesiâ suâ unum corpus facit, *subjicietur ei qui subjecit ipsi omnia, ut Deus sit omnia in omnibus,* 1 Cor. XV, 25, 28. Gloriosi hujus regni participes & consortes erunt, quotquot vera & viva fuerint membra ejus corporis, cujus ipse est caput. *Postquam Christus, vita illa nostra,* altero suo glorioso adventu *manifestus factus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi,* Coloss. III, 4. *Scimus fore, ut quum ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus,* 1 Ioh. III, 2. *Quum manifestus factus fuerit Princeps pastorum,* presbyteri, qui bene paverint gregem, *reportabunt immarcescibilem gloriæ coronam,* 1 Pet. V, 4. Evangelium regni itaque dici censebitur, non tantùm attendendo ad regnum, quod est hodie intra quemvis fidelem; vel ad re-

gnum, quod est Ecclesia, quæ in hisce terris usque ad fi-
nem seculi colligitur; vel ad regnum gloriæ Christi, per
resurrectionem incoatæ & per adscensionem consum-
matæ: sed etiam ad regnum istius gloriæ, quatenus ejus
post alterum Christi adventum & peractum supremum
judicium, qui Evangelio crediderunt & obtemperarunt,
participes erunt. Nempe ad hujus regni consortium
viam ostendit & aperit Evangelium, eoque per fidem
illi habitam pervenitur. Hinc etiam dicitur *Evangelium
salutis* Eph. 1, 13. *Sobrii simus, induti thorace fidei & carita-
tis; & pro galea, spe salutis. Nam non constituit nos Deus ad
iram,* ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας, *sed ac acquirendam vel ob-
tinendam salutem per Dominum nostrum Jesum Christum*, I
Thessal. v, 8. *Vocavit nos per Evangelium ad obtinendam glo-
riam Domini nostri Iesu Christi*, II Thess. II, 14. Et hisce ita
enucleandis ansam præbuit *Evangelium regni.*

CLXVII. Sicut autem prodromus Iohannes Baptistes
individuum, quod Messias sive Christus esset, primus in-
dicavit & digito quasi monstravit: ita quoq; Christus ipse,
quum præeuntem sequeretur, seq; præsentem exhiberet,
quis esset, non dissimulavit, sed se Christum esse tum ver-
bis tum factis demonstravit. Hinc Andreas Simoni, *Inve-
nimus Messiam*; & Philippus Nathanaëli, *Invenimus eum,
de quo scripsit Moses in Lege & Prophetæ*, Ioh. I, 42 & 46.
Vocat se *unigenitum Dei filium*, Ioh. III, 16 & 18: ne ta-
men propterea humanam suam naturam videatur ne-
gare, vel se hominem non agnoscere, subinde vocat *Fi-
lium hominis*. Mulieri Samaritanæ venturum Messiam me-
moranti dicit, *Ego is sum, qui loquor tibi*, Ioh. IV, 26. Passim ad-
severat, æternam vitã habere, qui in ipsum credant. Et sa-
nè multi credebant, quamquã *constituerant Iudæi, ut si quis
eum profiteretur esse Christum, synagogâ moveretur*, Ioh. IX, 22.

Quum

Quum autem dudum nulli fuissent prophetæ, & nulla essent edita præter & supra naturam miracula, ne à Iohanne quidem; summam ei fidem & auctoritatem conciliabat, quòd ipse præter exspectationem plurima & stupenda ederet. Hinc ait ipse: *Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me esse: sin minus* fortè propter humilitatem meam in animum inducere potestis, ut id credatis, *propter ipsa opera credite mihi*, Ioh. XIV, 11. Item: *Si non facio opera Patris mei*, qualia videlicet non nisi per divinam potentiam fieri possunt, *nolite credere mihi. Sin verò illa facio, etiamsi mihi non credatis, operibus tamen credite, ut cognoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in eo*, Ioh. X, 37. Item: *Ego testimonium habeo majus testimonio Iohannis: opera enim quæ dedit mihi Pater ut ea perficiam, ipsa* inquam *opera quæ ego facio, testantur de me, quòd Pater miserit me*, Ioh. V, 36. Rursus: *Opera feci inter Iudæos, quæ nemo alius fecit*, Ioh. XV, 24. Quum Iohannes duos ad ipsum discipulos mitteret, ut interrogarent, num esset Messias, respondit, *Ite & renunciate Iohanni, quæ auditis & cernitis. Cæci visum recipiunt & claudi ambulant, leprosi purificantur, & surdi audiunt, mortui suscitantur, & pauperibus* (*pauperibus spiritu*, qui ob peccata sua anguntur, & ab iis liberari desiderant) *evangelium prædicatur*, Matth. XI, 4. Lucæ VII, 22. Quum, sicut monui, miracula pridem in desuetudinem venissent, tot & tanta ab uno homine & ab iis, quibus ipse potestatem fecerat, derepente patrata, excitare homines meritò debuissent, ut evigilarent & adventum Messiæ observarent: quemadmodum sanè evigilavit Nicodemus, quum nocte ad Iesum veniens dixit, *Rabbi, scimus te à Deo venisse magistrum: nemo enim potest hæc signa edere quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo*, Ioh. III, 2. Loquitur autem de signis, quæ primo Paschæ festo, quod Iohannes memorat, Ioh. 2, 13.

 edita

edita cognorat: de quibus itidem verba fiunt Ioh. II, 23: *Quum esset Iesus Hierosolymis in Pascha, in festo, multi crediderunt in nomen ejus, spectantes signa quæ edebat.* Hinc vocat sanctus Petrus *virum à Deo approbatum apud vos* (Iudæos alloquitur) *præstantibus factis & prodigiis & signis, quæ edidit per eum Deus in medio vestri,* Act. II, 22.

CLXIIX. Omnium autem signorum maximum est, quod Iudæis signum flagitantibus proposuit ipse Dominus, quum dixit, *Destruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud: loquebatur autem de templo corporis sui,* Ioh. II, 19. Item Scribis ac Pharisæis dicentibus, *Magister, velimus ex te signum videre,* & quidem *è cælo;* respondit, *Gens improba & adulterina signum requirit, sed signum* præter ea, quæ quotidie fiunt, cœlestius & sublimius *non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ, Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes,* Matth. XII, 39; XVI, 1; Marci IIX, II. Atque ita *qui factus fuit ex semine Davidis secundum carnem, declaratus est Filius Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis* sive naturam & virtutem divinam sanctificantem (nam *Deus est Spiritus*) *per resurrectionem ex mortuis,* Rom. I, 4. Crescit, ut manifestum est, & ad majora gradatim adscendit oratio Rom. IIX, 34: *Christus is est, qui mortuus est, imò verò qui etiam suscitatus est: qui etiam est ad dexteram Dei,* regno plenè potitus & propterea ad nos tuendos validus: *qui etiam interpellat pro nobis,* sicut quoque dicitur Hebr. VII, 25, & IX, 24. Tanto itaque patrono apud faciem Dei pro nobis comparente & interpellante, *quis nos,* dum ei tamquam capiti per veram & vivam fidem inhæremus, *condemnet?* Quamdiu autem resurrectio nondum erat facta, & nondum poterant dicere discipuli & Apostoli, *Deus eum suscita-*

scitavit tertio die, fecitq; ut conspicuus fieret non toti populo, sed testibus, quos ipse prius designaverat, nimirum nobis, qui comedimus ac bibimus unà cum eo, postquam resurrexit à mortuis, Act. x, 40: aut sicut dicit sanctus Paulus Act. XIII, 32; *Nos vobis evangelizamus promissionem, quæ patribus facta est, Deum videlicet eam implevisse filiis illorum,* id est *nobis, suscitato Jesu:* quamdiu, inquam, gloriosa resurrectio & adscensio in cœlos nondum erat illis cognita, nondum acceperant *promissum Patris*, nempe Spiritum sanctum, suggesturum quæ oporteat dicere, nondum *induti erant virtute ex alto* tamdiu maluit Dominus rem ipsam loqui & testari, quàm discipulos prædicare, Iesum esse Messiam. Quum professus esset Petrus, *Tu es Christus, Filius ille Dei viventis; tunc interdixit discipulis suis, ut nemini dicerent, se esse Iesum illum Christum,* Matth. XVI, 16 & 20; Marci IIX, 29; Lucæ IX, 20. Nempe erant adhuc parum idonei ad rem dextrè proponendam & cum imminente passione & morte conciliandam. Voluit igitur ab iis taceri, donec & ipse per resurrectionem Christus Filiusque Dei declararetur, & illi virtute ad eam prædicationem ἐνεργητικῶς faciendam instruerentur. Sic quum apparentibus Mose & Elia transformatus esset in monte coram Petro, Iacobo & Iohanne, *descendens ex monte interdixit illis, ut nemini narrarent quæ viderant, nisi postquam Filius hominis ex mortuis resurrexisset. Illi igitur hanc rem continuerunt apud se, mutuò quærentes quid istud esset, Ex mortuis resurgere,* Marci IX, 9 & 10. Hæc itaque videtur fuisse interdicti ratio. Si quæ verò fuerit alia, ipsi Christo constabit.

CLXIX. Quando autem docebat Iesus, *percellebatur turba super doctrina ejus: docebat enim ὡς ἐξουσίαν ἔχων, ut habens potestatem & auctoritatem,* quam humana majorem esse ex verbis & doctrinâ elucebat, *non autem ut scribæ,*

 quo-

quorum sermones nihil divini spirabant, nec ad veram pietatem & obtinendam æternam salutem faciebant, Matth. VII, 28; Marci I, 22; Lucæ IV, 32. Iungebatur doctrinæ miraculorum perquam diu desitorum ingens & hactenus inaudita frequentia & copia : accedebat

Act. 17, 31. tandem resurrectio ex mortuis, *(fide palàm factâ omnibus, illo ex mortuis suscitato)* per quam declarabatur esse Filius Dei & Messias. Quem etiam eum esse agnoscebant & credebant, qui manifestæ veritati & Spiritui sancto per contumaciam non obniterentur. Testabantur enim non soli Apostoli, sed *etiam Spiritus sanctus, quem dat iis Deus, qui obœdiunt ipsi*, Act. V, 32. Obœdiunt autem, qui evangelium audiunt, & virtute Spiritus sancti, quæ ab evangelio non sejungitur, admittunt. Impertit quidem ea facultatem admittendi, sed necessitatem non imponit. Quòd igitur tamquam indubitatum admittitur, virtute Spiritus sancti imputandum est, per quam *Deus adaperit corda*, Act. XVI, 14: quòd autem à multis non admittitur, inde est, quòd Spiritus sanctus absolutâ suâ potentiâ, cui nemo resistere possit, non operatur, sed patitur *sibi resisti* Act. VII, 51: patitur evangelium *repelli*, Act. XIII, 46: connatâ videlicet pravitate, cui contra Spiritus sancti impulsum indulgere potest homo, dum hanc mortalem vitam vivit; & per quam fit, ut *quum velit Dominus homines aggregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, ipsi nolint*, Matth. XXIII, 37.

CLXX. Ad istum autem modum Iesus declaratus & manifestatus esse Christus sive Messias palàm fecit, quomodo multa veteris Scripturæ dicta, typi & figuræ, aliàs obscuræ & cuivis non satis penetrabiles, accipiendæ & Christo accommodandæ essent. Quod partim

partim patuit ex re cum typis collatâ, partim ex factâ explicatione, cui nemo, ex quo non modò tantis atque adeo inusitatis miraculis, sed etiam resurrectione Messias declaratus erat, fidem derogare debuit, etiamsi hactenus minùs fuisset explorata, nec argumentum evincens inde confieri potuisset. Exempli gratiâ, Ionas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes, & inde vivus emersit: hinc non potuit evinci, vel nescio aut refraganti demonstrari, futurum ut Messias post triduanam mortem in vitam rediret: interim quòd typus rei conveniat, & quòd ei, quem Messiam esse constaret, ita explicanti & accommodanti fidem haberi oporteat, non poterat negari. Sic *exorsus à Mose & omnibus prophetis interpretabatur* duobus discipulis euntibus Emmauntem *in omnibus Scripturis quæ de se* suaque passione & morte scripta erant; non tantùm videlicet perspicua & diserta, qualia Ies. LIII: sed etiam ea, quæ typis & figuris involuta, qualia quæ in libro Numerorum de serpente exal- Num. 21, 8.
tato in deserto, & qualia in Exodo, quũ Agnus Pascha- Exo. 12, 22.
lis describitur, ejusque sanguine superliminare & postes tingi jubentur, quo conspecto transierit percussor sive occisor; imò omnia sacrificia Veteris testamenti: *Nonne,* inquit, *hæc oportuit pati Christum,* posito videlicet tali decreto divino, & talibus Scripturarum prædictionibus & præfigurationibus; *& introire in gloriam suam?* Lucæ XXIV, 27 & 26. Apostolis congregatis iisque, qui cum ipsis erant, inculcat *oportuisse impleri omnia, quæ scripta sunt,* inquit, *in Lege Mosis, & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere ex mortuis tertio die: & prædicari ejus nomine pœnitentiam ac remissionem peccatorum apud omnes gentes, incipiendo*

endo ab Hierusalem, Lucæ XXIV, 44 & seqq. Sanctus Petrus populo Israëlitico: *Deus quæ prænunciaverat per os omnium Prophetarum suorum Christum suum perpessurum, ita implevit.* — *Et omnes Prophetæ à Samuele & deinceps, quotquot loquuti sunt, etiam prænunciaverunt dies istos,* nempe prædicationis Apostolicæ, per quam passim & omnibus innotescat, quòd Messias venerit, passus sit & mortuus, & resurrexerit; quòd agenda sit pœnitentia & per fidem in ipsum impetranda remissio peccatorum. *Vos estis*, inquit, *filii Prophetarum, & pacti, quod pepigit Deus cum patribus nostris, dicens Abrahamo, Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis* Iudæis *primùm Deus excitatum* & ad gloriam evectum *Filium suum Iesum misit* & patefecit, *qui* juxta promissionem Abrahamo factam *benedicat vobis, unoquoque se avertente à pravitatibus suis*, Act. III, 18, 24 & seqq. Fit itaque virtute benedictionis, quæ per semen Abrahami Christum omnibus terræ familiis & gentibus præstatur, ut possint se avertere à pravitatibus suis, & consequi remissionem peccatorum. *Nec est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, per quod oporteat nos servari*, Act. IV, 12. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum*, Act. X, 43. Sanctus Paulus ad Iudæos: *Notum sit vobis, viri fratres, per hunc annunciari vobis remissionem peccatorum, & ab omnibus, à quibus per Legem Mosis non potuistis justificari,* vel à reatu absolvi, (per Legem Mosis videlicet non stetit, quin rei & peccatores perpetuò haberemini) *per hunc*, quem Deus suscitavit, *omnem qui credit justificari*, Act. XIII, 18. Idem alibi protestatur, *se nihil dicere* vel docere *præter ea, quæ Prophetæ futura prædixerint & Moses:* nempe *quòd Christus fuerit passurus, & primus ex resurrectione mortuorum* non terre-

terrenum regnum, quale imaginabantur Iudæi, erectu- rus, sed *lucem*, in quâ ad cœleste & æternum ambuletur (*populus ambulans in tenebris vidit lucem magnam*) *annunciaturus populo* Israëlitico *& Gentibus*, Act. xxvi, 22. Ex illis Mosaicis & Propheticis multa, rebus quæ responderent jam præsentibus & exhibitis, aut ab ipso Christo tantis miraculis & tandem resurrectione nobilitato exposita claruerunt, & quò facerent quidve significarent innotuit.

CLXXI. Traditurus in cruce spiritum dixit, *Consummatum est*, nempe quidquid patiendo & cruciatus sustinendo propter redimendum genus humanum fieri oportuit. Excepit tertio die gloriosa resurrectio, & inde quadragesimo die adscensio in cœlos; proximè autem subsequuto die Pentecostes effusio donorum Spiritus sancti conjuncta visibili signo linguarum dispertitarum instar ignis. Sic facta est solennis promulgatio Novi testamenti, & cœperunt Apostoli Iudæis palàm prædicare, quòd Iesus, quem ipsi crucifigendum Pilato obtruserant, sit Christus, quòd ex mortuis suscitatus & adscendens cœlos sedeat ad dexteram Dei Patris, & quòd per fidem in ipsum, nec aliter, remissio peccatorum & æterna salus obtineatur. *Agite pœnitentiam*, ait Petrus, *& baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum*, Act. 11, 38. Ipse adscensurus in cœlum jubet Apostolos & discipulos suos *ire in mundum universum, & prædicare evangelium* (quale videlicet Novo testamento proprium erat, & omnia ad remissionem peccatorum & salutem facientia per Christum consummata proponebat) *omni creaturæ*. *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, Marci xvi, 15. Ioh. 19, 30.

CLXXII. **Non tamen ausus est sanctus Petrus evangelium hominibus gentilibus annunciare, nisi in eam rem peculiari divinitus oblatâ visione animatus** & excitatus. Post quam demum dixit Cornelio centurioni Romano, ex legione, quæ vocatur Italica: *Vos*
Act. 10. 28. *scitis Judæo nefas esse propius adjungere se aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, ne quem pollutum vel impu-*
v. 34. *rum hominem dicerem.* Item: *Verè deprehendo Deum non respicere ad personam: sed in quavis gente acceptum ei esse omnem, qui eum timeat, & operam det justitiæ.* Oportuit eum quoque rationem reddere fidelibus, qui ex circumcisione erant: apud quos enarratâ visionis & totius rei gestæ serie effecit, ut *acquiescerent, & glorificarent Deum dicentes, Nempe etiam gentibus Deus pœnitentiam dedit ad vitam,* Act. XI, 18. Atque ita factum fuit initium Evangelij gentilibus sub Novo testamento prædicandi & impertiendi. Illi quidem, *qui dispersi fuerant ex afflictione ortâ ob Stephanum* protomartyrem, *transierunt usque in Phœniciam & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum* evangelii, *nisi solis Judæis* Act. XI, 19. Post factum verò, quod memoravimus, initium dixerunt Iudæis Paulus & Barnabas, *Vobis necesse fuit primùm exponi verbum Dei* sive evangelium, sicut hodie sub Novo testamento exponitur: *postquam autem illud repellitis, & vos ipsos indignos decernitis æternâ vitâ, ecce convertimur ad Gentes,* Act. XIII, 46. Quamvis Prophetæ & præsertim Iesaias multotiens prædixerat vocationem & accessum gentium ad ecclesiam; nihilominus, etiam post effusa dona Spiritus sancti, Petro & cæteris necessaria fuit peculiaris ad hanc rem revelatio & instructio. Vnde Paulus Eph. III, 3 & seqq. Deus *per revelationem notum mihi fecit mysterium, quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, sicut nunc reve-*

latum est sanctis ejus Apostolis & Prophetis per Spiritum: nempe *Gentes esse cohæredes & concorpores consortesq; promissionis ejus* sive quam Deus ipse fecit *in Christo,* ut promissio innitatur Christo & promulgetur *per Evangelium.* Coloss. I, 26 laudat *mysterium absconditum à seculis & ætatibus, nunc autem factum manifestum sanctis ejus.* Similiter Rom. XVI, 25. Tantum videlicet differunt sublime involutumque dicendi genus, quo utuntur Prophetæ; & Evangelium, quo res olim prædictæ & figuris ac typis adumbratæ nunc tamquam præsentes vel factæ sub Novo testamento simpliciter & perspicuè proponuntur. Cæterùm de hac inter Vetus & Novum pactum differentiâ diximus suprà num. LIIX, LIX, LX; nec hîc opus est repetere. Augustinus eâde re in hunc modum loquitur XVI de Civitate Dei, cap. XXVI: *Quid est quod dicitur testamentum vetus, nisi occultatio novi? & quid est aliud quod dicitur novum, nisi veteris revelatio?* Rursus I contra adversarium Legis & Prophetarum. cap. XVII: *Novum in Vetere est figuratum, & vetus in novo revelatum.*

CLXXII[1]. Quomodo Evangelico pacto primitus promulgato accesserint deinceps alia: sic tamen ut primum illud semper supponeretur, involveretur, & per ipsum subinde explicatiùs propositum fideque in venturum Messiam collocatâ salus obtineretur, pridem est Num. 61, 63
declaratum. Abrahamo promissum est, quòd ex ipso proditurus esset Messias; nec non etiam Davidi, dequo Ps. CXXXII, II; Act. II, 30. Vt igitur constaret eventum respondisse, servata est eò usque distinctio tribuum & familiarum; quâ hodie, postquam ante tot secula exhibitus fuit Messias, opus non est. Confusa itaque sunt omnia, nec quisquam ex Iudæis affirmare potest, se vel hac, vel illâ, vel tribu Iudæ, aut familiâ Davidis

oriundum. Mosaicum pactum magnâ & tremendâ solennitate promulgatum est, quod tamen ipsum, si ad æternam salutem respicitur, primævum Evangelicum supponit; & ab illo abstractum sive seorsim consideratum non nisi felicem & tranquillam promissæ terræ Canaan possessionem concernit. *Vmbram habet futurorum bonorum, non expressam formam rerum,* Hebr. x, 1. Quam rem tractavimus num. xci & seqq. Mira autem erat circa tempora Christi perversitas plerorumque Iudæorum, existimantium ab observatione legis Mosaicæ pendère æternam vitam; ab adventu verò & operâ Messiæ restitutionem regni Israëlitici & terrenæ felicitatis. Quin ipsi etiam Apostoli & discipuli post resurrectionem imminente adscensione *interrogarunt Christum dicentes, Domine, num hoc tempore restitues regnum Israëli?* Act. 1, 6. Eodem respiciunt duo illi, qui Emmauntem ibant, quum dicunt; *Nos sperabamus illum esse, qui redempturus esset Israëlem,* Lucæ xxiv, 21. Adeo altè insederat animis plerorumque ista opinio; à quibus etiam ad subsequuti temporis Iudæos videtur derivata.

CLXXIV. Suspendebant igitur ætate Apostolorum nonnulli, qui ex Iudæis Christum agnoverant, salutem ab observatione legis Mosaicæ. Docebant enim, *Nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis salvari,* Act. xv, 1: & turbabant alios fideles. Similiter etiam nonnulli *turbabant Galatas, & volebant invertere Evangelium Christi,* Gal. 1, 27. Qui admittebant quidem Christum sive Messiam venisse, nec alium esse exspectandum, sed æternam salutem per opera legis sive observationem legis Mosaicæ acquiri. Videntur itaque docuisse, Christum venisse, ut exemplo suo ad implendam legem præiret (*non enim venerat ut solveret legem, sed ut impleret,* Matth. v, 17)

v, 17) potiùs, quàm ut fieret propitiatio pro peccatis nostris, & nos à maledictione legis redimeret. At sanctus Paulus, *Ecce ego dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum*: si circumcidamini videlicet imbuti opinione, quòd per circumcisionem & observationem legis Mosaicæ acquirenda sit æterna vita. *Testor enim rursus omni homini qui* cum hac opinione *circumciditur, eum esse debitorem universæ legis*, quantam Deus umquam sanxit, accuratè & sine omni hallucinatione *servandæ*. Paulus quidem ipse *Timotheum circumcidit propter Iudæos qui in illis locis*, quæ adire oportebat, *erant: sciebant enim omnes*, quamvis mater ejus Iudæa esset, *patrem tamen ejus græcum* sive gentilem *esse*, Act. xvi, 3. Ne igitur videretur legem divinitus promulgatam & hactenus nullo manifesto indicio abolitam adspernari, propterea Timotheum matre Iudæâ natum circumcidit; alienissimus ab eâ, quam commemoravimus, opinione. Titus autem, quem aliquando adduxerat secum Hierosolymam, *quamvis esset Græcus, non coactus fuit circumcidi*, Gal. ii, 3. Neque enim in templo tamquam Iudæus versari, vel in urbe eodem cum Iudæis loco haberi cupiebat. Nempe id sibi, ut Christianus esset & salute potiretur, minimè necessarium noverat. Quamdiu autem incolume supererat templum; poterant ritus in eo juxta legem frequentari soliti, innoxiè usurpari, non quidem quasi per eos acquireretur æterna salus, quod numquam fuerat; neque quasi per eos tamquam typos futura præfigurarentur, quæ jam erant consummata, verbi gratiâ, per sacrificia sacrificium Christi; sed tamquam ritus boni & à Deo instituti, qui hactenus culpari non possent.

Gal. v. 2 | v. 3

CLXXV. Fideles itaque, qui Hierosolymis erant,

sanctum Paulum, quum eò post conversionem suam
quartâ vice accessisset, in hunc modum alloquuntur:
Act. xxi, 20 *Vides frater quot sint millia Iudæorum, qui crediderunt; suntq́ omnes accensi Zelo legis,* nec possunt ferre, eam nihili fieri.
v. 21. *Audierunt autem de te ex aliorum sermone, te defectionem à*
Mose docere omnes qui inter Gentes sunt Judæos, & dicere eos
non debere circumcidere filios, neq; secundùm ritus ambulare:
v. 23. id prorsus illicitum esse. *Hoc itaque fac, quod tibi dicimus:*
Sunt nobis viri quatuor, qui sese voto Nazaræatus sive separationis ad aliquot dies divini cultus ergo *obstrinxerunt,* quemadmodum tute etiam te obstrinxisti, quando Cenchreis navali Corinthiaco (vide Pausaniam sub initium Corinthiacorum) caput totondisti; Act. xiix, 18.
v. 24 *His adsumtis sanctificator cum eis, & adde ad eorum sumtus*
sive cum eorum sumtibus junge tuos, *ut radant capita,* quemadmodum præcipitur lege Mosaicâ, *& norint omnes, quòd nihil sit eorum, quæ de te audierunt, sed te quoq; ita incedere, ut legem observes,* nec nefas existimes eam à Iudæis ob-
v. 25. servari. Nam eorum, *qui crediderunt ex gentibus* alia est
v. 26. ratio pridem declarata. *Tum Paulus adsumtis viris illis*
sequente die cum eis purificatus ingressus est in templum, denuncians, ut solenni huic actui non saltem interfuisse, sed quodammodo præfuisse primasque tenuisse videatur, *expletionem dierum purificationis*, quot dies purificationi impendere animus esset, *usquequo* explerentur, & *offerretur pro unoquoque eorum oblatio,* qualis lege Mosaicâ præscribitur, nempe holocaustum, propitiatorium & eucharisticum sacrificium cum suis appendicibus. *Hæc est lex Nazaræi,* sive separati, *die quo completi fuerint dies Nazaræatus ejus, conferet se ad ostium tentorii conventus, offeretq́ oblationem suam Domino* &c. Num. vi, 13 & seqq. Sanctus itaque Paulus agnovit, licitas fuisse adhuc eo tem-
pore

pore Iudæis ejuſmodi oblationes, & referri potuiſſe ad fines decentes & utiles; ſicut etiam agnoſcit *σωματικὴν γυμνασίαν corporalem exercitationem* in abſtinentiâ & auſteritate externæ vitæ poſitam, qualem etiam Nazaræatus includebat, ſuas habere utilitates, non tamen pares cum ipſâ pietate, 1 Tim. IV, 8.

CLXXVI. Hoc autem erat, quod contra eos, qui gentiles ad Chriſtum converſos & Evangelium amplexos turbarent, adeo conſtanter & ſeriò adſeverabat & inculcabat, nempe remiſſionem peccatorum & æternam ſalutem obtineri haut aliter, quàm per fidem in Chriſtum, non autem per obſervationem legis, quæcumque tandem fuerit; ſive, ut utamur loquendi modo, quem hic tractatus potiſſimùm conſiderat, per pactum Evangelicum, & non per pactum Legale. *Scimus*, inquit, *non juſtificari hominem ex operibus Legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti; etiam nos in Chriſtum Jeſum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus Legis, propterea quòd non juſtificabitur ex operibus Legis ulla caro*, Galat. II, 16. Et
mox: *Si per Legem eſt juſtitia*, ſi poſt lapſum protoplaſto- v. 21.
rum tales ſunt hominum qualitates & vires, ut exactè & perfectè Legem poſſint ſervare, ſicut ſiquidem per eam ſalus obtineri debeat, ſervari oportet; *igitur Chriſtus fruſtra mortuus eſt*. Potuiſſent enim homines ſalvari per legem ad eum modum accuratè adimpletam; nec opus fuiſſet vel Chriſto, vel evangelio, vel fide. At non ſuppetunt hominibus ejuſmodi facultates aut vires. I-
gitur ut docet proximo capite, *quotquot ex operibus Legis* v. 10.
ſunt, ſive per ea & pactum Legale ſalutem obtinere ſatagunt, quia conditionem ab hoc pacto poſitam præſtare nequeunt, *ſub maledictione ſunt. Scriptum eſt enim, Maledictus eſt, quiſquis non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt*

in li-

in libro Legis, ut faciat ea, abſque ullâ ſcilicet allucinatio-
ne vel prævaricatione. Sic enim *facere* accipi oporte-
bit, & maledictio de maledictione in æternum duratu-
râ erit intelligenda, ſi negocio conſequendæ vel amit-
v. 11. tendæ ſalutis verba accommodentur. *Nullum autem per*
Legem apud Deum juſtificari manifeſtum eſt, quoniam juſtus ex
fide vivet. Lex autem non eſt ex fide, Lex ab Evangelio
v. 12. ſeparata Chriſtum non revelat, & proinde fidem in eum
non exigit; revelat autem & exigit Evangelium: *ſed* vox
& ſumma Legis hæc eſt, *Quiſquis ea fecerit* (quomodo in-
v. 13. telligi oporteat *facere*, jam fuit dictum) *vivet per ea. Chri-*
ſtus autem, in quem Deus conjecit iniquitatem omni-
um noſtrûm, factus propitiatio pro peccatis noſtris &
totius mundi *redemit nos à maledictione Legis, dum pro no-*
bis factus eſt maledictio: ſcriptum eſt enim, Maledictus quiſquis
pendet in ligno. Nempe maledictio illa temporaria & ex-
terna, propter infinitam dignitatem perſonæ, quæ eam
ſuſtinuit, momento & pondere æquat aut potiùs ſupe-
rat æternam maledictionem, cui propter peccata ſua
obnoxium univerſum genus humanum. Deinde: *Si*
v. 21. *data fuiſſet Lex, quæ* non eſſet viribus deſtituta in carne
& *poſſet vivificare* ſive ſpiritualem vitam conferre, *verè*
v. 22. *ex Lege eſſet juſtitia. Sed concluſit Scriptura* tum Legis tum
alia (vide Rom. III, 10 & ſeqq.) *omnia ſub peccatum, ut pro-*
miſſio, promiſſa æterna ſalus & vita, *ex fide Ieſu Chriſti da-*
v. 23. *retur credentibus. Antequam autem veniſſet fides*, ex Evan-
gelio plenè & perſpicuè prædicato longè diſtinctiùs &
perfectiùs concepta, quàm olim, *ſub Lege cuſtodiebamur*,
ne ad alia quàm à Deo mandata divagaremur, *concluſi*
in eam fidem, quæ erat revelanda, hoc eſt, deſtinati ad fidem,
qualem modò diximus, non quòd fides olim aut nulla
fuerit, aut prorſus diſtincta ab hodiernâ, ſed quòd ho-
dierna

dierna præ antiquâ incoatâ propter clariorem & uberiorem revelationem magis plena & completa. *Itaq, Lex* ver. 24.
pædagogus noster fuit in Christum respiciens, ad Christum tum intentatâ damnatione, quæ non nisi per Christum aboleri posset, tum typis & figuris manuducens, *ut ex fide* in Christum *justificaremur*. *At postquam venit fides*, ver. 25.
qualem diximus, *non ampliùs sub pædagogo sumus:* novimus enim quomodo Christus pro nobis damnationis reis satisfecerit, & typos ac figuras impleverit. *Omnes enim*, ver. 26.
inquit, *filii Dei estis per fidem in Christo Jesu*.

CLXXVII. Et quidem, sicut docet capite quod sequitur quarto, filij non infantes aut minorennes, sub tutoribus & curatoribus constituti, qui quoad libertatem administrandi nihil differant à servis; sed filij adulti & in libertatem adserti. Dicit autem post aliqua: *Dicite* ver. 21.
mihi, qui sub Lege vultis esse sive sub pacto legali, & per id salutem consequi, *Legem non auditis?* ex quâ videlicet intellectâ & acceptâ occultiore sensu, mihi qui sum *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum ac Deum Patrem* constitutus, *per revevelationem* patefacto, ingentis erroris vos convincam. *Scriptum est e-* ver. 22.
nim in libris Mosis, quibus Legis titulus peculiariter tribuitur, *Abrahamum duos filios habuisse, unum ex ancillâ, & unum ex liberâ. Sed is, qui ex ancilla* natus est, *secundum* ver. 23.
carnem natus est, ex fœminâ videlicet juvenculâ & per naturam ad pariendum idoneâ: *qui verò ex liberâ, per promissionem* sive virtute promissionis divinitus factæ, ex Sarâ *vetulâ, cui desierat esse secundum consuetudinem mulie-* ver. 24.
rum. Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. Quæ non tantùm simpliciter & juxta literam intelligenda sunt, sed tamquam prædita mystico & allegorico sensu. *Nam hæ* duæ diversâ, imò oppositâ conditione matres, *sunt duo ista pacta*,

 de qui-

de quibus hodie quæritur, per utrum eorum salus ob-
tineatur: *unum quidem, quod est Agar* vel figuratum per Agar, legale scilicet *ex monte Sina* promulgatum, *in servitutem generans*, nempe servitutem condemnationis, si adhibeatur tamquam medium evitandæ condemnationis & consequendæ salutis, siquidem conditio, quam fini obtinendo ponit, nullo modo potest præstari; & præterea qui legali pacto nituntur, pactum evangelicum, (per quod finis aliàs obtineri posset) utpote directè oppositum & quod alteri conjungi & cum eo simul stare nequit, removent seque ab eo avellunt. Hinc enim mox proximo capite Apostolus, *Evacuati estis*, disiuncti & separati *à Christo, quicumque per Legem justificamini; à gratiâ excidistis*, ut eâ frui & gaudere non possitis. Sin respiciatur servitus, quam ceremoniæ multiplices unà cum sumtu & impensâ secum trahunt, ita pactum, quod ex monte Sina prodiit, onerosæ servituti subjicit. Sina
ver. 25. autem *respendet ei Hierosolymæ, quæ nunc est*, sive prout hodie sese habet, referta Pharisæis eorumque discipulis, legalium ceremoniarum tenacibus & in ijs spem salutis collocantibus, *servitq;* adeo, quatenus ita se habet, *cum filiis suis* utramque servitutem superiùs memoratam.
ver. 26. *Illa verò quæ sursum est Hierusalem*, non illa terrena, sed spiritualis & *cœlestis*, sicut appellatur Hebr. XII, 22, ædificata super petram Christum, vel Ecclesia Christiana, *libera est, quæ est mater omnium nostrûm*; illa, inquam, libera est tum à condemnatione, tum à servitute recipiendæ circumcisionis, offerendorum sacrificiorum & usurpandorum multiplicium rituum. *In libertate igitur*, ut
Ver. 1 & 13. mox capite quinto sequitur, *quâ Christus nos liberavit, perstate, nec iterum implicamini servitutis iugo.— Vos enim ad libertatem vocati estis fratres.*

CLXXIIX.

CLXXIIX. Qui itaque comparantes Vetus pactum cum Novo sub nomine Veteris ad Mosaicum in Sina promulgatum præcipuè respiciunt, habent quem sequantur Apostolum, duo pacta eo, quo audivimus, modo explicantem. Primævum tamen Evangelicum à Mosaico non fuit penitus abjunctum, sed cum eo convolutum, ut supponeretur, & quid per ipsum suo tempore, quo Novum appellari inciperet, complendum foret præfiguraretur: nempe toties effusus sanguis & oblata sacrificia non tollebant peccata, sed significabant sanguinem Novi testamenti, fundendum à Messia in sacrificio initerabili & semel offerendo; porrigentē autem in cuncta anteriora tempora suam in remissione peccatorum efficaciam ad omnes, qui crederent in venturum Messiam, ut aliàs fuit expositum.

CLXXIX. Cum Evangelio etiam conjungitur & per Evangelium confertur Spiritus, per quem præstatur non tantùm, ut fides Evangelio habeatur, sed etiam ut compescantur pravæ cum naturâ congenitæ inclinationes, & eatenus observetur lex divina moralis, ne petulans ejus & per datam operam facta violatio salutem auferat, & condemnationem inferat. Quoniam enim qui vixerunt sub pacto Mosaico, tum remissionis peccatorum coram Deo facti sunt participes, tum delicta perpetrare desierunt (aliter enim nemo eorum servari potuisset) manifestum est eos sine fide in Christum, sine Evangelio, & sine Spiritu non fuisse. Quia tamen Evangelica, in ipsâ præsertim peculiariter dictâ Lege, modicè attinguntur, & tamquam futura prædicuntur & adumbrantur, Legalia verò utramque paginam faciunt; & contrà post adventum Christi quæcunque hunc ipsum & Evangelium concernunt, disertè, prolixè &

perſpicuè proponuntur & declarantur: propterea Sanctus Apoſtolus miniſterium Novi pacti appellat miniſterium Spiritus & juſtitiæ; priùs verò miniſterium literæ, mortis & condemnationis, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed quatenus in proponendâ & urgendâ Lege occupabatur, II Cor. III. *Deus*, inquit, *fecit, ut idonei eſſemus miniſtri novi pacti, non literæ*: quæ videlicet ſaltem indicet & præſcribat quid requiratur, *ſed Spiritus*, cujus beneficio & virtute hoc ipſum, quod requiritur, præſtetur. *nam litera*, ſi abſit Spiritus qualem diximus, ut quod injungitur & requiritur, impleri nequeat, *occidit*, *Spiritus autem*, qui facultatem implendi confert, *vivificat*. Nempe Evangelium habet adjunctam gratiam Spiritus ſancti, per quam præſtari poteſt, quod ad ſalutem neceſſarium ab Evangelio requiritur: at non ita Lex, ſiſtens in literâ jubente, & non adjungens gratiam Spiritus, ad præſtandum quod jubetur, neceſſariam: unde fit, ut quotquot ex operibus legis ſunt vel ſalutem adſequi ſatagunt, ſub maledictione ſint. Statuit itaque ſanctus Paulus inter miniſterium veteris teſtamenti ſive Moſaici pacti, quatenus Lege occupatur, & miniſterium Novi, quatenus Evangelium plenè, clarè & conſummatè proponit, hæc diſcrimina, quod illud ſit miniſterium literæ occidentis, hoc Spiritus vivificantis; atque adeo illud mortis, hoc vitæ; illud condemnationis, hoc juſtitiæ à Chriſto manantis & derivatæ; illud temporarium, quod *ut inutile tollitur*, hoc permanens & perpetuum; illud aliquatenus & imperfectè, hoc perfectè & excellenter glorioſum; illius ſumma & doctrina inſcripta tabulis lapideis, hujus autem cordibus per Spiritum. Hinc Epiſtola ad Hebræos ex Ieremiæ XXXI, 31: *Ecce dies venient, dicit Dominus, quum pangam cum domo Iſraëlis & cum domo*

Marginal notes: ver. 6. (beside "ge occupabatur, II Cor. III."); ver 11. Hebr. 7, 18. (beside "quod ut inutile tollitur ... illud aliquatenus"); Hebr 8, 8. (beside "Epiſtola ad Hebræos")

domo Iuda pactum novum. Non secundùm pactum, quod feci cum Patribus eorum: quo die prehendi manum eorum ut educerem eos ex Aegypto: nam ipsi non perstiterunt in illo meo pacto: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quamobrem hoc est pactum, quod paciscar domui Israelis post dies illos, dicit Dominus, Indam leges meas menti eorum, & cordi eorum inscribam illas.

CXXC. Diximus de literâ & Spiritu, è quibus hic cum Evangelio conjungitur, ut per eum quæcumque sub pacto evangelico ad habendam salutem præstari opus est, in rem conferri possint; in illâ verò Lex, quatenus Evangelio opponitur, sita est, jubens quidem, sed ad præstanda, quæ jubet, opem non conferens. Addemus de Spiritu & carne, quæ cuivis per Evangelium renato inesse docet Apostolus. Caro quidem aliàs significat naturam humanam secundum se sumtam, ut quum Christus dicitur esse *ex semine Davidis, ex Patribus secundùm carnem*, & *in carnem venisse*, Rom. I, 3; IX, 5; I Ioh. IV, 2. Quam notionem nunc non attendimus, sed solùm eam, juxta quam in renatis sibi opponuntur Spiritus & Caro, & pugnare dicuntur. Nempe qui renati sunt, illi per Spiritum regenerati sunt, qui facit ut credant, & ad vitam piè & sanctè agendam incitentur. Non tamen placuit Deo naturam talem restituere, qualem creaverat ante lapsum, evectam videlicet supra sortem merè naturalem; & nullis obnoxiam motibus sive inclinationibus, rectæ rationi & proinde Deo adversantibus. Quatenus igitur aliter se habet, quàm eam se habere Deus, quum crearet, voluit; eatenus caro dicitur, & corrupta appellatur. Sunt videlicet in renatis impulsus à Spiritu qui regenerat, & sunt impulsus à carne nunc aliter constitutâ, quàm quum primùm crearetur, sive à carne corruptâ quatenus est corrupta. Caro

itaque Spiritui opposita est caro corrupta, sive ipsa cor-
ruptio. Spiritus potest & debet superare carnem: in-
terim quoniam non agit per potentiam absolutam, &
congenitâ pravitate, si quis ei indulgere malit, quàm
Spiritui obsequi, potest excuti, hinc fit ut Caro sæpe
vincat Spiritum. Qui patiuntur Spiritum à carne vin-
ci vel expelli, illi dicuntur secundum carnem ambulare;
qui verò carnem Spiritu coërcent & domant, secundum
ver. 5. Spiritum, Rom. IIX, 1 & 4. Qui *secundùm carnem sunt* sive
ambulant, *quæ carnis* corruptæ *sunt sapiunt*, intendunt,
quærunt, amplectuntur; *qui verò sunt secundùm Spiritum*,
ver. 6. *quæ Spiritus sunt. Nam* τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, *quod sapit ca-
ro*, quò caro corrupta invitat & impellit, *mors est* sive
mortem inducit: *quod autem sapit Spiritus, vita & pax*, vi-
ver. 7. tam & tranquillitatem animi stabilit & conservat. *Quo-
niam* τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς *quod sapit caro* corrupta, qua-
tenus est corrupta, *inimicitia est adversus Deum*, Deo ad-
versatur & rebellat. *Legi enim Dei non subjicitur: nam ne
potest quidem.* Corruptio videlicet illa secundum se spe-
ctata & quatenus corruptio est, non potest legi divinæ
subjici sive conformari, sed oportet eam reprimi & do-
mari, donec visum fuerit Deo suos à mortali corpore &
conditione liberare. Quamdiu mortalis vita vivitur,
tamdiu se movet, & compescenda est ne in actus com-
pletos erumpat, donec per mortem penitus aboleatur.
Apostolus non adserit carnem legi Dei non posse subijci, ἀλλὰ
τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, οἷον τὴν ὁρμὴν αὐτῆς, αὐτὴν τὴν πρὸς
τὸ ἄδικον ἔκκαυσιν. *sed quod sapit caro, hoc est, ejus impetum
& ipsam ardentem injusti cupiditatem.* Verba sunt Me-
thodij martyris apud Epiphanium hæresi LXIV, num.
ver. 8. LII. *Ergo qui in carne sunt*, qui secundùm carnem am-
ver. 9. bulant & vivunt, *Deo placere non possunt. Vos autem non
estis*

estis in carne. Bene Leo magnus sermone primo de Resurrectione: *Quamvis corruptibilem adhuc carnem mortalemq; gestemus, rectè tamen dicimur in carne non esse, si carnales nobis non dominentur affectus.* Addamus adhuc aliqua sancti Pauli verba: *Si secundùm carnem vixeritis, futurum est ut moriamini* æternâ morte: *sed si spiritu actiones corporis* ver. 13.
vel carnis *mortificaveritis, vivetis. Quotquot enim Spiritu* ver. 14.
Dei aguntur, ii sunt filij Dei. Et ipse Spiritus testatur unà cum ver. 16.
Spiritu nostro, nos esse filios Dei. Nos quidem credimus nos esse filios Dei, quod, si nobis relinqueremur, certò & verè credere non possemus. Spiritus itaque Dei in nobis habitans facit nos id credere, sive ejus virtute & gratiâ in nobis operante animus noster elevatur, ut intelligat & credat nos esse filios Dei. Nempe sicut *nemo hominum* (verba sunt ejusdem sancti Pauli 1 Cor. 11, 11) *novit ea quæ sunt hominis*, quæ ille cogitat vel intendit, *nisi spiritus* vel animus *hominis, qui est in eo; ita etiam ea, quæ sunt Dei* & à solâ Dei dispositione pendent, *nemo novit nisi Spiritus Dei*, qui spiritui nostro conjunctus eum elevat, erudit & informat, ut cognoscat, quid de nobis Deus disposuerit: unde quod spiritui nostro accedit, & eum ejusmodi sublimi cognitione instruit, *non est spiritus mundi*, qui res mundanas doceat, vel ad earum amorem impellat; *sed spiritus qui est ex Deo*, sive totum à divino spiritu derivatur & confertur, *ut sciamus quæ à Deo* in Christo & per Christum *donata sunt nobis*. Sequitur in epistolâ ad Romanos: *Quòd si filij, etiam heredes: heredes quidem Dei*, non ver. 17.
tamquam patris terreni, quo non nisi mortuo hereditas aditur, sed tamquam Patris cœlestis, cui æterno & semper viventi accedemus & sociabimur, futuri participes summorum bonorum, quæ reddet Dominus supremo illo die omnibus, qui diligunt & expetunt illustrem 2 Tim 4, 8.

ejus

ejus adventum: atque adeo futuri *coheredes* ipsius Domini *Christi*: scimus enim fore, quòd quum apparuerit similes ei erimus, 1 Ioh. III, 2.

CXXCI. De pugnâ Carnis & Spiritus, cui etiam renati & fideles sunt obnoxij, pauca præterea ex epistolâ ad Galatas producemus.
Cap 5,16. lâ ad Galatas producemus. *Dico*, inquit Apostolus, *Spiritu ambulate, & quod concupiscit caro, ne perficite. Nam*
ver.17. *caro* (intelligendam esse corruptam, sive ab eâ, qualis primitus creata fuit, degenerem & in deterius per lapsum præcipitatam pridem diximus) *concupiscit adversus spiritum*, adversus inclinationes & instinctus, quos Spiritus Dei spiritum nostrum excitans & gubernans efficit: *spiritus autem*, qui in renatis ita, uti diximus, est instructus, *adversus carnem* concupiscit: *hæc verò inter se opposita sunt, ut non quæcumque volueritis*, & ad quæ impetus aliquis vi-
Ver.18. tiosæ carnis vos instigaverit, *eadem faciatis*. *Quòd si spiritu ducimini*, si facitis non illa ad quæ caro sed ad quæ spiritus incitat, *non estis sub Lege* sive sub pacto legali, juxta cujus rigorem vobis metuenda sit & subeunda da-
ver.19. mnatio. *Porrò manifesta sunt opera carnis*, inquit, eorumque septemdecem recenset, quorum pleraque quidem in appetitu concupiscente & irascente deprehenduntur, quædam tamen intellectui inhærent, quædam voluntati, quamquam concupiscentiæ vocabulo, utpote radicis magis conspicuæ & frequentis omnia com-
ver.21. prehendi solent; additque, *& his similia, quæ prædico vobis, sicut etiam prædixi; eos videlicet qui talia agunt, regni Dei non fore heredes*. Quod *liquidissimam veritatem* vocat Augustinus libro de fide & operibus cap. XIIX. Operibus carnis fructus spiritus opponit. *At fructus*, ait, *spiri-*
ver.22. *tus est caritas, gaudium, pax, lenitas* vel iræ cohibitio; *benignitas, bonitas, fides*, fidelitas & veracitas in dictis & factis,

oppo-

opposita versutiis & mendacio, quomodo etiam capitur fides I Tim. VI, II, & II Tim. II, 22; *mansuetudo, continentia.* *Adversus ejusmodi*, qui videlicet ductu Spiritus Christi & præviâ fide in Christum tales fructus edunt, *non est Lex*, vel adversus eos condemnando juxta legale pactum non proceditur. Omnino igitur adversus alios, qui ejusmodi non sunt. *Qui enim sunt Christi*, qui sunt veri & genuini Christiani, *carnem* ad improba & iniqua incitantem *crucifixerunt*, domuerunt & subegerunt *cum affectibus & cupiditatibus.* Crucifigi dicitur, quoniam ægrè fert & dolet ad eum modum se coërceri. Sed *si vivimus spiritu*, si vita & salus nostra à spiritu pendet, *spiritu etiam* vel juxta ductum & instinctum spiritus *incedamus.*

ver. 23.
ver. 24.
ver. 25.

CXXCII. De hac Carnis adversus Spiritum pugnâ, quam in semetipso experiatur Apostolus, agit sub finem septimi ad Romanos. Augustinus quidem aliquando existimavit, eum loqui non in propriâ, sed in hominis non renati, atque adeo sub legali pacto constituti personâ. Cæterùm quum rem accuratiùs expenderet & contra Pelagianos disputaret, verba nimis evidentia eum adegerunt, ut retractaret. Vide primi Retractationum cap. XXIII; & maximè primi contra duas epistolas Pelagianorum cap. X; item tertii contra Julianum cap. XXVI. *Scimus*, ait Apostolus, *Legem esse spiritualem*, magis sublimia & spiritualia præcipere & exigere, quàm vel homo carnalis sibique relictus possit intelligere & adsequi, vel qui in mortali adhuc carne vivit, præstare & exsequi. Existimaverit aliquis quinto præcepto non nisi manifestum homicidium prohiberi; sexto non nisi consummatum adulterium. At Servator docet contra quintum peccare, quicumque temerè irascatur fra-

ver. 14.

tur fratri suo, vel eum raca, id est, vanum aut nequam, vel fatuum appellet; *quicumque* verò *adspexerit mulierem, ut eam concupiscat, adulterasse eam in corde suo*, Matth. v, 22 & 28. De reliquis præceptis idem statuendum erit, nempe contra ea peccare non tantùm qui opera prohibita consumment, sed etiam qui cogitatione vel desiderio, quamvis represso, in ea ferantur. Ad hunc sublimem & spiritualem legis sensum pertinet id quoque, quod paul-
ver 7. lò antè dixerat Apostolus, *Concupiscentiam non noveram esse peccatum, nisi lex diceret, Non concupisces.* Concupiscentiam sanè quæ ab intellectu & voluntate approbetur, peccatum esse, aliunde poterat scire: sed eam quoque, quæ displiceat & reprimatur, peccatum esse ex hoc spirituali legis sensu constabat.

ver. 14. CXXCIII. *Scimus*, ait Apostolus, *legem spiritualem esse, ego verò carnalis sum, venditus sub peccato*, ut non possim non esse peccato obnoxius & maculatus, etiamsi non sim carnalis eo sensu, quòd peccata, à quibus immunis esse nequeo, secter, approbem vel perficiam. Carnalitas autem sive vitiositas illa non tantùm appetenti & irascenti, quamvis se hîc frequentiùs & evidentiùs prodat, sed etiam superioribus facultatibus insidet, &
ver. 15. in iis cogitationes & motus pravos excitat. *Quod enim perpetro*, ait Apostolus, *non agnosco*, non approbo quando considero: *non enim quod volo* voluntate deliberatâ, quæ tandem verè est voluntas hominis, *hoc ago*, volo videlicet tales cogitationes & inclinationes penitus abesse, *sed* huc rem deducere nequeo, & *quod* aliàs *odi, hoc facio*, hoc à me fit & prodit. Negare enim non possum, quin ego sim, qui ita illicitè & inordinatè cogitet ac desideret. Methodius martyr, qui suprà adductus ex Epi-
Hær. 64, num. 56. phanio, apud eumdem eodem fere loco: *Hæc verba*,

Quod

Quod perpetro, non agnosco, & quod odi facio; non sic accipienda sunt, quasi malum plenè perficere ac committere dicatur: sed referenda ad solam cogitationem, quum plerumque alienæ & absurdæ cogitationes nobis advolent, & ad ea quæ nolumus, illudendo nos provocent. Et paullò post: *Volumus ea quæ non decet, & quæ ne quidem cogitare licet. Quandoquidem bonum demum perfectum est, abstinere non tantùm à perpetrando, sed etiam à cogitando malo.*

CXXCIV. Sequitur apud Apostolum: *Quòd si id facio* cogitando vel desiderando, *quod nolo, consentio Legi,* quæ ita cogitare vel desiderare prohibet, *quòd bona sit.* Quæ igitur ad istum modum cogitantur vel desiderantur, contra legem sunt, & proinde peccata. Quoniam autem mente consentio legi prohibenti, & vellem vitare si possem, *nunc itaque non ampliùs ego id perpetro,* quia quod à deliberatâ voluntate proficiscitur, id demum ab inclinatione homini propriâ prodit, *sed peccatum quod* ab Adamo derivatum *in me habitat,* tum quoad privationem justitiæ & rectitudinis concreatæ, tum quoad pravas cogitationes & motus inde pullulantes, mihique vel invito obrepentes; hoc inquam peccatum perpetrat, quod nolo & quod odi. *Novi enim non habitare in me, id est in carne mea* per lapsum Adami ob primævæ justitiæ amissionem corruptâ, *bonum* in hoc positum, ut possim ab ejusmodi pravis motibus immunis esse. *nam velle* radicitus eos evellere, id quidem *adest mihi, sed ut* hoc *quod bonum est efficiam, non adsequor.* Mox repetit priora, *quod non faciat bonum quod velit, sed malum quod nolit,* & proinde peccato, quod in se habitet, imputandum. *Invenio igitur,* ait, *volenti mihi facere bonum,* volenti non concupiscere, & cupienti connatam vitiositatem penitus eliminare, *hanc legem* sive necessitatem impositam esse, *quòd*

ver. 16. ver. 17. ver. 18. v. 19. & 20. ver 21.

mihi malum concupiſcentiæ pertinaciter *adjaceat*, nec penitus etiamſi maximè velim & adnitar, excutere valeam.
ver.22. *Delector enim Lege Dei* prohibente concupiſcere & pravis motibus agitari, *quoad interiorem hominem* ſive ſpiritualem, qui Spiritu Dei agitur & regitur: cui opponitur carnalis, qui deſideriis carnis ſubjicitur & obſequitur, quales non ſunt renati. Carnalis autem, qualem ſe paullò antè agnovit ipſe ſanctus Paulus, qui videlicet in carne adhuc mortali vivat, & ab Adamo derivatis congenitiſque vitioſitatibus non careat, cum quali idem erit exterior homo, opponitur ſpirituali, de quali agitur 1 Cor. xv, 43 & 44. Apoſtolus itaque Lege Dei omnes inordinatos motus prohibente ſe dicit delectari ſecundùm hominem, qui quidem ſit ſpiritualis, ſed incoatè, non
ver.23. perfectè & conſummatè: *ſed video*, inquit *aliam legem* ſive inclinationem, quæ neceſſitatem imponat & aboleri nequeat, *in membris meis* capite & corde, quatenus adhuc carnalia ſunt, *repugnantem legi* vel inclinationi *mentis meæ*, quæ ſpiritualis eſſe cœpit, ut à concupiſcentiâ immunis eſſe vellet; legem, inquam, adeo validam, *ut me* quamvis invitum ſibi ſubjiciat & *captivum ſiſtat legi peccati, quæ eſt in membris meis*, & concupiſcere adigit peccandique neceſſitatem imponit, ut non poſſim non peccare.

ver.24. CXXCV. *Miſer ego homo: quis me liberabit ex corpore mortis hujus*, in quo tantam carnis & ſpiritus luctam experior, neceſſitate peccandi conſtringor, & mortem
ver.25 evitare nequeo? *Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*, qui morte ſuâ ex morte me liberavit, pro peccatis meis ſatisfecit, & gratiam largitur, per quam etſi non fit, ut ſimpliciter omni peccato caream, fit tamen, *ne regnet peccatum in mortali meo corpore, ut obœdiam peccato in concupiſcentiis corporis*, quemadmodum loqui-

tur

tur Rom. vi, 12: & mox, *Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub Lege* sive sub Legali pacto, quod ad vincendum peccatum nihil adfert præsidij vel auxilij, *sed sub Gratia* sive Evangelico pacto, sub quo confertur gratia, per quam peccatum & remittitur, ne damnet, & comprimitur, ne regnet. Particeps enim factus est Filius Dei carnis & sanguinis, id est, humanæ naturæ, *ut liberaret eos, qui metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti*, Hebr. II, 15: *nam non posuit nos Deus ad iram, sed ad adquirendam salutem per Dominum nostrum Iesum Christum*, 1 Thess. v, 9.

CXXCVI. Subjicit tandem superioribus: *Nempe igitur ipse ego mente quidem* per Spiritum regeneratâ ac elevatâ, & voluntate deliberatâ, quæ debeat propriè haberi mea voluntas, *servio Legi Dei, carne verò* & carnalibus desideriis per peccatum Adami invectis, & nondum planè abolitis, servio *legi peccati*, & peccata perfectè evitare non possum. *Nulla igitur nunc est condemnatio iis, qui* Cap. 8, v. 1. *sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant* aut desideria carnis perficiunt, *sed secundùm Spiritum*, qui ductum Spiritus sequuntur, & per spiritualem gratiam desideria carnis reprimunt, id est, qui sub pacto Evangelico constituuntur, & ei sedulò & seriò se conformant. Etiamsi in iis sit, quod condemnari posset, si ageretur secundùm rigorem pacti legalis; nulla tamen ijs est condemnatio, quia sub Evangelico sunt constituti. Sub hoc itaque constitutus Apostolus quamvis fuisset *secundum justitiam, quæ est in lege*, sive quoad externa & in sensus incurrentia legis opera ἄμεμπτος vel *irreprehensus*, ea tamen habet *tamquam stercora, ut Christum lucrifaciat, & inveniatur in eo, non habens suam justitiam quæ sit ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, eam* videlicet *justitiam, quæ*

 est ex

est ex Deo per fidem, Phil. III, 6, 8, 9. Quasi dicat, Non quæro justitiam & salutem ex pacto legali, sed ex Evangelico, quod per fidem in Christum justitiam donat, tum imputando, dum vi promissionis divinæ per Evangelium promulgatæ peccata hactenus commissa remittuntur, & jus adeundi regni cœlestis confertur; tum incoando, dum participes facit gratiæ, per quam quæ ob inhærentem carnis imbecillitatem à pacti consortibus evitari non possunt, condonentur, crimina verò, quæ exclusura essent æternâ vitâ, & cum divinâ amicitiâ & ipso hoc pacto consistere nequeunt, evitentur.

CXXCVII. Hæc ob oculos hîc ponere voluimus, ut quis sit sub pacto Evangelico, etiam Novo, renatorum sive fidelium status & conditio, dilucidiùs pateat. Non perpetrant aut perficiunt desideria & opera carnis: quod si facerent, statu illo suo & impetrato adeundæ cœlestis hereditatis jure exciderent. Non quidem consummant peccatum: interim tamen ab omni peccato non sunt immunes. Sanctus enim Paulus agnoscit & fatetur se venditum esse ut subjiciatur peccato; se non facere quod velit, sed quod odio prosequatur; se cernere in membris suis legem cum lege mentis pugnantem, per quam sub captivitatem peccati redigatur, ut carne serviat legi peccati. Quis autem hodie sancto Paulo se conferat, aut etiam præferat? Consortes itaque pacti Evangelici non carent omni peccato. *Si dixerimus*, ait
1 Ep. 1, 8. sanctus Iohannes, *nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus*, nobis ipsis persuademus, quod alienum est à veritate; unde etiam è vestigio subjicit, *& veritas in nobis non est*. Aberrabimus non solùm ab humilitate, quæ nos decet, sed etiam à veritate, si dixerimus nos peccatum non ha-
4 contra Iul. c. 14. bere. *Duo mala sunt*, ait Augustinus, *quorum unum habemus*,

mus, alterum facimus, si ei non resistimus quod habemus. Differunt videlicet *peccatum habere* & *peccatum facere* sive consummare. Fideles & consortes pacti Evangelici improbant quidem & reprimunt peccatum sive concupiscentiam & vitiositatem congenitam, interim tamen ab Adamo & parentibus derivatam habent, sive in mortali suâ & miserijs obnoxiâ carne circumferunt: vitiosam inquam, concupiscentiam, generaliter accepto vocabulo, tum quoad actum primum sive quoad modum habitus, tum quoad actus secundos, sive desideria & motus indeliberatos, quamvis involuntarios & ignorantibus obrepentes Nam *delicta*, errores, ignorantias *quis intelligat? ab occultis munda me*, ps. IX, 13: ad quem locum agnoscit Bellarminus, *peccata quæ ex ignorantiâ committantur, verè peccata esse.* *Qui non novit & fecit digna plagis, cædetur* plagis *paucis*, ait Dominus Lucæ XII, 48: punietur quidem mitiùs, quàm qui novit voluntatem domini sui & non fecit; interim tamen punietur, quia peccavit. Quin Augustinus infantiam peccatis obnoxiam fatetur I Confessionum, cap. VII. Theophylactus in Hebr. IX, 28 producit Liturgiam, in quâ oretur, εἴτε ἄκοντες εἴτε ἑκόντες ἡμάρτομεν, συγχώρησον, *Sive inviti sive volentes peccavimus, condona.* Clemens Romanus epistolâ ad Corinthios genuinâ, quam edidit Patricius Iunius: *Manus vestras ad Deum omnipotentem extendistis,* ἱκετεύοντες ἄυτον ἵλεων γενέσθαι, εἴτι ἄκοντες ἡμάρτητε, *suppliciter ejus misericordiam implorantes, si quid inviti peccastis.* Similiter ait Epiphanius πολλάκις ἐν κόσμῳ ἡμᾶς ὄντας σφάλλεσθαι ἀκουσίως τε καὶ ἑκουσιῶς, *nos dum in hoc mundo sumus, sæpe titubare & offendere tum invitos tum spontè*, hær. LXXV, num. VII. juxta Augustinum *peccatum est, quum vel non est caritas quæ esse devet, vel minor est quàm esse debet, sive, hoc voluntate vi-* Sub init.

tevi-

te vitari poßit, sive non poßit. De perfectione justitiæ contra Celestium, ratiocinatione xv. Quamquam Augustinus, ne quid videatur concedere Manichæis, qui peccatum ad aliud principium, quàm voluntatem humanam referre conabantur; eò solet ire, ut omne peccatum quamvis ipsi committenti involuntarium, in aliquam tamen voluntatem humanam reducatur, si non aliam, certè primi parentis, à cujus libero in primum peccatum consensu dimanat omnis in posteros derivata labes.

CXXCIIX. Duodecimo de Trinitate cap. XII in hunc modum loquitur: *Quum solâ cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt; non negandum est esse peccatum, sed* censeri debet *longè minus, quàm si & opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusq; percutiendum atque dicendum, Dimitte nobis debita nostra.* Nempe sicut idem Augustinus definit XXII contra Faustum cap. XXVII, *Peccatum est factum vel dictum vel concupitum aliquid contra legem æternam* sive divinam; non modò factum vel dictum, sed etiam concupitum. Et libro primo de sermone Domini in monte: *Sicut tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione; ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tamquam tres mortes.* Paria docet Hieronymus in primum caput Prophetæ Amos: *Primum peccatum est cogitasse quæ mala sunt. Secundum, cogitationibus acquievisse perversis. Tertium, quod mente decreveris, opere complesse. Quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, & in suo sibi complacere delicto.*

CXXCIX. Quamdiu autem Spiritus reluctatur carni,

carni, nec patitur se adigi, ut quod caro concupiscit, opere perficiat, etiamsi magnâ cum difficultate & infirmitate obnitatur; tamdiu homo renatus & in pactum evangelicum receptus non ambulat secundùm carnem, sed secundùm spiritum, & proinde nulla est ei condemnatio, quamvis esse posset, si cum eo juxta rigorem legalis pacti ageretur. Peccata venialia nuncupantur, quæ Tertullianus *quotidianæ incursionis* vocat, libro de Pudicitiâ, cap. XIX: qualium penitus immunes esse non possunt fideles, etiamsi maximè velint. Dicuntur autem venialia, non quòd ex se suaque naturâ talia sint, sed ex accidente, quòd occurrant in hominibus, quos Deus suâ gratiâ dignatur, & per fidem in Christum pacti evangelici consortes fecit. Nullum aliàs peccatum ideo dignum est æternâ condemnatione vel pœnâ infinitæ durationis, quòd includat quamdam infinitam pravitatem vel malitiam, sed ideo, quia est contra legem æternam, & quia offendit infinitam Dei majestatem. Qui plebeium injuriâ afficit, verbi gratiâ, pugno cædit, aliquot nummorum mulctâ luit; qui consulem, carcere; qui Regem, capite. Qui legem transgreditur, τὸν θεὸν ἀτιμάζει, *Deum inhonorat* vel contumeliâ afficit, Rom. II, 23. Peccatum, quod veniale dicitur, aut est contra legem divinam, aut non est. Si non est, nullo modo peccatum est; si verò est, tum propter caussam modò prolatam dignum est æternâ morte, sive vitari possit, sive non possit. nam hominem ita ab initio Deus condidit, ut vitari posset. Mutatus est homo per Adami culpam in deterius: sed non ideo mutata est lex divina, vel pactum legale prorsus abolitum. Promulgatum autem est Evangelicum, ut qui in id per fidem in Christum recipiuntur, à Legalis rigore absolvantur, dum secundùm

Spiritum ambulant, & opera carnis non perficiunt; ad quod præstandum illis per ipsum Evangelicum pactum gratia confertur: quamvis non visum fuerit Deo in pristinum amissum statū restituere, ut simpliciter omnia peccata, etiam involuntaria & vitiosi motus vitari possint, sed potiùs condonentur, dummodò reprimantur, agnoscantur, & venia juxta præscriptam à Domino precationem humiliter petatur. Eadem tamen illa, quamvis vel sola deprehendantur, in infidelibus & legali pacto subditis, æternâ damnatione vindicantur. Nempe cum ijs, qui Evangelicum pactum aut numquam amplexi sunt, aut eo exciderunt, juxta vim & rigorem Legalis agitur. Nemo enim est mortalium, qui non sub alterutro constituatur, & quem non juxta vel hoc vel illud sententiam exspectare oporteat.

CXC. Iohannes Gerson, Cancellarius Vniversitatis Parisiensis, dictus olim doctor Christianissimus, & in magno precio semper habitus, qui obijt anno CIↃ CCCC XXIX, De vitâ spirituali animæ lectione prima hanc ponit conclusionem : *Omne peccatum, pro quanto est offensa Dei, & contra legem ejus æternam, est de suâ conditione & indignitate mortiferum secundum rigorem justitiæ, & à vitâ gloriæ separativum. Ratio est, Quoniam omnis offensa in Deum potest justè ab ipso judice Deo puniri pœnâ mortis tam temporalis quàm æternæ: imò annihilationis pœna. Est igitur de se mortifera. Assumtum deducitur ex hoc, Quòd nulla pœna talis est ita mala, quantum mala est ipsa offensa: & ex alio, Quia potiùs toleranda esset omnis mors pœnalis & annihilatio, quàm committenda esset quantumlibet parva offensa in Deum. Da oppositum, Iam offensa Dei licitè fieri deberet in casu.— Quòd autem offensa dimittitur vel remittitur, est ex purâ liberalitate Dei remittentis, & non amplius imputantis.* Istis

sub-

subjungit ejusmodi corollarium: *Nulla offensa Dei est venialis de se, nisi tantummodo per respectum ad divinam misericordiam, quæ non vult de facto quamlibet offensam imputare ad mortem, quum illud posset justissimè. Et ita concluditur, quòd peccatum mortale & veniale in esse tali, non distinguuntur intrinsecè & essentialiter, sed solùm per respectum ad divinam gratiam, quæ peccatum istud imputat ad pœnam mortis, & aliud non.*

CXCI. Quin ipsum originale peccatum, quod receptis in pactum evangelicum per baptismum remittitur, nisi remitteretur, condemnationi obnoxium redderet. Nam non placuit Deo, sicut dictum fuit, innocentiæ & integritatis statum, qualis ante lapsum Adami fuerat, reconciliatis restituere. Quod itaque peccatum congenitum attinet, si respicias habitualem concupiscentiam, in quâ situm est, non differt specie vel ab eâ, quæ ante baptismum fuit, vel ab eâ quæ non renatos occupat; nisi quòd impetus ejus retundi & refrenari cœpit. Vtrobique idem est materiale, nempe habitualis inclinatio; utrobique etiam idem formale, nempe ἀνομία & privatio rectitudinis opposita legi divinæ. Quomodo igitur utrobique non sit idem peccatum & antè & post baptismum ? Abolitus sanè est reatus sive obligatio ad subeundam pœnam: cæterùm is non est formale constituens peccatum, sed potiùs, ut ita dicam, formale consequens. Qui peccavit, reus est & pœnæ obnoxius: atque hoc ipsum non est legi contrarium, sicut est peccatum, sed planè conforme & congruum. Separari itaque potest à peccato reatus; & nihilominus manet peccatum, quod pridem erat. Sicut è contrario multa peccata, ut homicidia, adulteria, furta transeunt actu, & manent reatu. Amotus itaque reatus non est

sufficiens ratio, propter quam negetur peccatum originis manere & esse peccatum. Interim quamdiu fideles id reprimunt, nec in opus, ad quod incitat, transire permittunt, sibi remitti petunt, atque adeo sub pacto evangelico perseverant, non magis eis nocet vel damnationem infert, quàm si peccatum penitus non esset. Si autem peccato obsequuntur operamque dant, sive secundum carnem ambulant atque adeo pacto evangelico excidunt, juxta severitatem legalis tractantur.

CXCII. Lubet hîc adscribere discursum quemdam Henrici Gandavensis, qui habetur Quodlibeto ejus sexto, quæstione penultimâ; & quidem quemadmodum proponitur à Dionysio Carthusiano, scribente in distinctionem XXIV secundi, quæst VI: is enim alicubi concisiùs proponit, ut promtiùs intelligi queat. *Advertendum*, inquit, *quum in peccato originali in non regeneratis sint duo, quorum unum est incurvatio, quæ consistit in voluntatis obliquatione; secundum est reatus, id est, obligatio ad pœnam pro carentiâ rectitudinis originalis justitiæ: secundum istorum in baptismate expiatur, primum verò manet. Quibus duobus duo correspondent in motibus primis carnalis concupiscentiæ, utpote ipsius motus deformitas, & pœnæ reatus debitus ei: quorum primum manet ad pœnam in regeneratis, sicut & obliquatio manet in voluntate, & fomes in carne; secundum expiatum est, ita quòd sicut neutrum istorum habet rationem peccati in renatis ex parte reatus, sed solùm ex parte obliquationis, sic motus primò primi, etsi rationem habeant culpæ ex parte deformitatis pudendæ, nullam tamen habent ex parte reatus. Et potest ex his dari ista distinctio. Motus primi considerari possunt dupliciter, sicut & quilibet actus virtutis ac vitij: uno modo secundum se & absolutè, quoad dispositionem & f rmam actus; alio modo in respectu in finem, quoad præmium debitum*

actui.

actui. Primo modo primi motus, etiam primò primi, sine dubio sunt peccata tam in renatis, quàm in non renatis: quoniam deformitatem habent in se contra regulas prudentiæ, rationisq́; rectæ, quæ deformitas rationem vitij habet, quemadmodum contraria informatio rationem habet virtutis. Hoc etiam modo obliquatio in ratione rationem vitij habet: & fomes in carne eo modo, quo virtutes & vitia conceduntur esse in viribus sensitivis, non per essentiam, sed participationem. Porrò secundo modo primi motus, inquantum primò primi, peccata non sunt in renatis propter baptismatis expiationem; sed in non renatis, in quibus super reatu nulla expiatio facta est, omnino habent rationem peccati, etiam quoad illos, qui non sunt in voluntatis potestate determinatâ ad reprimendum, & quoad maculam seu deformitatem, & quoad reatum. Et debet hoc peccatum in non renatis vocari non originale, sed actuale: quia ab actu proprio suæ carnis, quamvis non voluntatis suæ, perpetratur. Hactenus Henricus ille Gandavensis: quem statuere, quòd in renatis motus etiam primò primi, id est, maximè involuntarij & indeliberati, quamvis remissus sit reatus, quoad dispositionem tamen & formam actus eique inhærentem deformitatem peccata sint, operæ precium duxi ut non ignoretur.

CXCIII. Scribit Augustinus de naturâ & gratiâ cap. XXXV: *Etiamsi hic non vivatur sine peccato, licet* tamen *mori sine peccato, dum subinde veniâ deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur.* Hac videlicet ratione sub pacto Evangelico vivitur & agitur. *In multis enim offendimus omnes*, ut disertè sanctus Iacobus III, 2. *Nemo est, qui non peccet*, I Reg. IIX, 46; II Chron. VI, 36. Augustinus igitur loco jam producto, *Exceptâ*, inquit, *sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus quum de peccatis agitur* (agitur autem de peccatis

quæ committuntur, sive quæ per actum aliquem ab homine prodeunt) *habere volo quæstionem: (unde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum?) hac ergo virgine exceptâ si omnes illos sanctos & sanctas, quum hîc viverent, congregare possemus & interrogare, Vtrum essent sine peccato; quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc, quod iste* scriptor Pelagianus *dicit, an quod Johannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent,* annon *unâ voce clamassent, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est? An illud humilius responderent fortasse quàm verius? Sed huic* Pelagiano *jam placet & rectè placet, laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.*

CXCIV. Pergamus autem considerare verba san-
Cap. 1, 8. cti Iohannis Apostoli. *Si dixerimus*, inquit, *nos peccatum*
ver. 9. *non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra*, quemadmodum ipse jussit nos Patrem cœlestem precari, Dimitte nobis debita nostra; *fidelis est & justus*, præstat quod promisit (nam stare promissis non solùm ad fidelitatem, sed etiam ad justitiam refertur) *ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni in-*
ver. 10. *iquitate. Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum*, qui nos peccatores habet & æstimat, omnesque orare jussit, Dimitte nobis debita nostra, *& verbum ejus*, quo nos peccatores esse toties testatus est, *non est in nobis*, sive certa & ab ipso Deo confirmata veritas à nobis
Cap. 2, 1. abnegatur. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut ne peccetis:* quam-

vis

vis peccatum habetis, nec evitare potestis, quin se moveat & vobis negocium facessat, evitetis tamen, ne dominetur & regnet, vosque ei obœdiatis, & desideria ejus perficiatis. *Sed & si quis peccaverit*, si quis à peccato & carne suâ se vinci & seduci passus fuerit, nolim eum desperare, sed in viam redire & pœnitentiam agere, quoniam *advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum*, qui, modò in eum credamus, & peccatis inhærere desinamus, considens ad dexteram Dei & in summam evectus sublimitatem justitiam suam pro compensandâ & delendâ nostrâ injustitiâ Patri sistit & offert, atque ita interpellat pro nobis, Rom. IIX, 34; Heb. VII, 25; & comparet apud faciem Dei pro nobis, Hebr. IX, 24. *Et* ver. 2.
ipse est propitiatio, quæ Deum placat & propitium reddit, *pro peccatis nostris*, quæ aliàs, absque hac propitiatione esset, utpote in ejus infinitam majestatem injuriosa, æternâ morte luere nos oporteret. Sic autem Deus dilexit mundum, *ut miserit Filium suum, qui esset propitiatio* Cap. 5, 10.
pro peccatis nostris: nec pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi. Posuit eum Deus, ut esset propitiatio per fidem in sanguine ipsius, Rom. III, 25.

CXCV. Diximus antea, aliud esse *peccatum habere*; aliud, *peccatum facere*, sive scientem & volentem se peccato dedere & operam dare. Inter quod & alterum ingens est discrimen secundùm sanctum Iohannem. Ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, *Qui facit*, inquit, *peccatum ex diabolo est*, Cap. 3, 8.
diaboli exemplum & impulsum sequitur: *quoniam ab initio* conditi mundi *diabolus peccat*, & homines ad peccata committenda instigat. *Adhoc* autem *apparuit* vel manifestus factus est *Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*, ut conterat caput serpentis, & peccata aboleat, tum removendo damnationem eis debitam, tum suppeditando grati-

gratiam reprimendis illis, ne dominentur. *Quisquis natus est ex Deo*, regenitus per verbum Dei & baptismum, qui est lavacrum regenerationis & renovationis per Spiritum sanctum, *peccatum non facit* eo, quo antè dictum est sensu, *quoniam semen Dei*, per quod regenitus est (regenitus videlicet *non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili, per verbum Dei vivi & manentis in æternum*, 1 Pet. 1, 23) *in eo manet*, & virtute Spiritus sancti operatur, facitque semper & seriò meminisse eorum, quæ ab ipsis Deus exigit, & fieri vel prohibet vel præcipit: *& non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*: non potest peccare sive secundùm carnem ambulare & peccato operam dare, in sensu, ut Logici loquuntur, composito, quamdiu nativitatem ex Deo conservat, & semen, per quod renatus est, fructum fert. Interim sicut potest regenerationem, per quam in hac mortali vitâ ad statum filij Dei & gratiæ translatus est, amittere (regeneratio verò, de quâ Matth. XIX, 28; quæ est ad gloriam, non amittitur) sic quoque potest desinere natus esse ex Deo, & ad statum, in quo erat antequam regeneraretur, redire. Augustinus, II de peccatorum metitis & remissione, cap. IIX, exponit ut subjicitur: *Proficimus in renovationem justamq; vitam per quod filij Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus; donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod filij seculi sumus: per hoc enim peccare adhuc possumus.* Item II contra epistolam Parmemiani, cap. VII: *Quamvis in quantum ex Deo nati sumus, non peccemus, inest tamen adhuc etiam quòd ex Adam nati sumus, quia nondum absorpta est mors in victoriam, quod in corporum resurrectione promittitur.*

CXCXI. Varia à varijs in umbrâ vel ocio cogitari & disputari possunt; quæ solent evanescere, quum res seriò agi cœperit. Agitur autem seriò, quando magnum

gnum & ultimum illud certamen cernitur, in quo anima à corpore discedit, reversura unde discessit supremo seculi die. Quantum suæ innocentiæ vel justitiæ vel meritis unusquisque tribuere ausit, sine ambagibus & strophis tunc patescit. Exstat in antiquis Agendis Exhortatio apud moriturum, & quidem religiosum vel monachum, instituenda, quæ Anselmo Cantuariensi tribuitur, pia sanè & recta, quæque modum, quo sub Evangelico pacto, præsertim Novo, damnatio evitetur, & remissio peccatorum atque æterna vita obtineatur, breviter & dextrè ostendit. Apponemus eam ex vetustis Agendis verbotenus. *Cùm frater aliquis laborare videtur in extremis, pium est & consultum, eum per prælatum sive alium sacerdotem subscriptis interrogationibus & exhortationibus exerceri. Et interrogetur primò, Frater, Lætaris, quòd in fide Christi morieris? & respondeat,* Etiam. *Item, fateris te non tam bene vixisse sicut debuisses? Respondeat,* Fateor. *Pœnitet te?* Etiam. *Habes voluntatem emendandi te, si spacium vivendi haberes?* Etiam. *Credis quòd propter te mortuus est dominus Iesus Christus filius Dei?* Etiam. *Credis te non posse salvari, nisi per mortem ejus?* Etiam. *Agis ei de hoc ex corde gratias?* Etiam. *Age ergo, dum in te est anima tua, ei semper gratias; & in hac solâ morte totam fiduciam tuam constitue, huic morti te totum committe, hac morte te totum contege, eiq; te totum involue. Et si Dominus voluerit te judicare, dic, Domine mortem domini nostri Iesu Christi objicio inter me & judicium tuum: aliter tecum non contendo. Si*

dixerit, quòd merueris damnationem, dic, Mortem Domini nostri Iesu Christi objicio inter me & mala merita mea, ipsiusq; dignissimæ passionis meritum offero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo. Dicat iterum: Mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter me & iram tuam. Deinde dicat: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Et Conuentus sive adstantes respondeant: In manus tuas Domine commendamus spiritum ejus. Et securus morietur, nec videbit mortem in æternum. Hæc ibi.

CXCVII. Existimari poterat, Fratres vel monachos meritis, quæ vocant, abundare. Cæterùm hic jubetur Frater fateri, se tam bene non vixisse, sicut debuisset; se propterea pœnitere, & si spacium vivendi supersit, voluntatem emendandi habere; se credere, quòd propter se sit mortuus Dominus Iesus Christus Filius Dei, & se non posse salvari nisi per mortem ejus; se meritis carere, & eorum loco meritum passionis Christi Deo Patri offerre; se inter Dei Patris iram judiciumque & sua mala merita ponere mortem Christi, & in hac solâ totam suam fiduciam constituere, huic se totum committere & involvere. Hæc, inquam, sincera est fidelium sub Evangelico pacto Novi testamenti praxis, per quam datur æternam mortem evitare, & vitam consequi. Dico Novi testamenti. nam *ubi testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris. Testamentum enim in mortuis ratum est: quandoquidem nondum valet, quum vivit testator*, Hebr. IX, 16, 17. Quoniam itaque sub Novo pacto intercessit mors testatoris Christi, hoc ipsum rectè & appositè dicitur Novum testamentum. Mors autem Christi sub Vetere

tere

tere præfigurata & adumbrata fuit morte & ſanguine vitulorum & hircorum: quali quum Moſes populum adſpergeret, dixit, *Ecce hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum*, Exodi xxiv, 8: ſanguis videlicet vitulorum & hircorum eſt ſanguis Veteris pacti. Quum Chriſtus ſupremâ cœnâ inſtitueret ſacramentum Eucharıſtiæ, porrecto calice dixit, *Hic eſt ſanguis meus Novi teſtamenti*, Matth. xxvi, 28; Marci xiv, 24: ſanguis videlicet *teſtamenti* vel pacti *æterni*, quomodo appellatur Hebr. xiii, 20; quòd ſit de conferendis bonis æternis, & quòd perpetuò duraturum, nec ei aliquando abrogando aliud umquam ſucceſſurum. Fuerit itaque verus & propriè dictus ſanguis Chriſti. Nullus enim alius ſanguis eſt ſanguis Novi teſtamenti. Multò minùs typus aliquis ſanguinis eſt ſanguis Novi teſtamenti. Quin ſi exiſtimetur vinum, quia typus ſit ſanguinis Chriſti, proptereà dici ſanguinem Novi teſtamenti, in remiſſionem peccatorum effuſum; eatenus Novum teſtamentum inferius erit Vetere. Sanguis enim vitulorum & hircorum, qui ſub Vetere fundebatur, longè expreſſior & convenientior typus fuerit ſanguinis Chriſti, quàm eſſe poſſit vinum. Sed hæc obiter.

CXCIIX. Cæterùm Exhortationes illas Anſelmicas antiquis Ritualibus & Agendis tum manu tum typo exſcriptis, qualia in bibliothecâ Iuliâ adſervantur, paſſim inſertas animadverto, ut juxta earum præſcriptum cum moribundis agatur. Imò translatæ etiam ſunt in idioma Saxonicum, ut earum promtior apud idiotas eſſet uſus. Hoc ipſo excuſus eſt liber Lubecæ anno cIↄ cccc xcvi, Anſelmicas exhortationes ægro in mortis periculum conjecto proponens, & jubens, ut precationem, quæ ſequitur, ſæpe repetat. Sprick jo vaken/inquit, dit

Bethalzus. HEre Jesu Christe/ ick sündige Minsche bidde dy umme deß bitteren Lidendes willen/ dat du ledest vor my an dem Crütze/ do dine Sehle schedede van dinem Lichnam/ vorbarme dy over mine sündige Sehle in erem uthgange/ wan se van deme Lichnamme schedet/ Amen. Vix credibile est, quemquam repertum iri, qui in illo agone constitutus Deum ad rationes & calculos vocet, examinaturus num salus, quam expetit & desiderat, suis ipsius meritis & justitiæ ex aliquâ parte, & non in solidum divinæ misericordiæ Christique meritis accepto sit ferenda. Non sanè fecit Aeneas Sylvius, qui jam Senensis episcopus, postea Pontifex Pius secundus, quum morbis oppressus

Ep. 146. periclitaretur, ad intimum scribens amicum, *Ad superos*, inquit, *me transiturum non despero. nam etsi magna peccatorum sarcinâ premor, majorem tamen esse divinam misericordiam, quàm meam iniquitatem non dubito. In hac confido, in hac me totum resolvo.* Non Stanislaus Hosius Cardinalis, acerrimus Protestantium hostis, qui Testamento, quod operibus ejus subjunctum est, *confitetur, quod gravia sint sua peccata, quibus iram divinam promeruerit. Sed utinam*, inquit, *appendas ea Domine in staterâ, & quam pro me calamitatem pertulit innocens Filius tuus: certè multò gravior apparebit hæc & magis digna, propter quam effundas in me misericordiam tuam, quàm illa sint, ut propter ea contineas in irâ tuâ miserationes tuas. Indignus ego sum, quem oculis majestatis tuæ aspicias, verùm interea dignissimus est ille, propter cujus passionis & mortis meritum non modo respicias me, verùm & corones. Quamobrem venio ad te Pater clementissime, venio ad te nullis meis, sed multis Filij tui domini & redemtoris mei Iesu Christi meritis onustus: qui quum pretiosâ morte suâ non modò pro meis, verum etiam pro totius mundi peccatis abundè tibi satisfecerit, hujus mortis meritum, in*

quo

quo solo meam spem & fiduciam omnem habeo defixam, adfero ad te: hæc est justitia mea, satisfactio mea, redemtio & propitiatio mea.

CXCIX. Consideremus etiam alia nonnulla superioris seculi exempla. Sigismundus primus Rex Poloniæ mortuus est anno ætatis XXCI, Christi cIↃ IↃ XLIIX, Kalendis Aprilis. *Moribundus se totum Deo religiosis verbis & suspirijs commendabat, in ejus clementiâ & misericordiâ fiduciam suam omnem collocabat*, ut testatur Martinus Cromerus oratione, quâ ei parentat, Historiæ, quam scripsit, sub finem adjunctâ. Stanislaus Orichovius Rhutenus idem officium præstitit: oratio exstat inter orationes clarorum hominum in academiâ Venetâ editas anno cIↃ IↃ LIX. *Fide*, inquit Orichovius, *in Deum erat summâ: hominem peccatorem se confitebatur esse palàm: nusquam spem veniæ, nisi in solo Christo, habebat.* Item: *Animam agens ad singula verba passionis Christi Dei nostri suspiravit, ingemuit ac flebiliter precatus est, ut Deus peccatorum ipsius immemor, beneficiorum autem Christi in illum & in omnes memor, clemens ac propitius illum ad illas beatorum sedes reciperet, ad quas Jesus Christus Dominus & Deus noster ante illum præcesserat.* Carolus quintus Imperator, rerum humanarum pertæsus, resignato imperio & in Hispaniâ in Hieronymiano S. Iusti monasterio postremum vitæ suæ biennium exegit, pietati & sacris meditationibus deditus, obiitque XI Kal. Octobris, anno cIↃ IↃ LIIX. Cætera apponam verbis Thuani, quibus rem descripsit Historiarum libro XXI. *Toto pectore*, ait, *in Deum revolutus sic ratiocinabatur, se quidem indignum esse, qui proprijs meritis regnum cœlorum obtineret, sed dominum Deum suum, qui illud duplici jure obtineat, & patris hereditate & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cujus dono illud*

 sibi

sibi meritò vindicet, hacq; fiduciâ fretus minimè confundatur: neque enim oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ poni: hanc hominis fiduciam esse à se deficientis & innitentis Domino suo: alioqui proprijs meritis fidere, non fidei sed perfidiæ esse: peccata remitti per Dei indulgentiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab eo, cui soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit, per quem solum nobis peccata condonantur: ita cùm sensim ad lentam tabem febris acuta accessisset, imaginem Christi cruci affixi identidem in oculis, ulnis, ore & totâ mente complexus, in eo solo se omnem salutis suæ spem collocare declaravit, sumptoq; viatico, In me mane, inquit, *dulcissime Servator, ut ego in te maneam; in quæ verba deficiens animam Deo reddidit.* Hæc Thuanus. De Constantino Pontio, *qui diu Carolo à sacris confessionibus, eiq; in solitudine suâ ac postremò animam agenti semper præstò fuerat*, scribit idem Thuanus, quòd postea ad tribunal Inquisitionis *raptus in tetro carcere exspiraverit. Sed ne theatrum*, inquit, in quo Hispali vix post transactum à Caroli obitu annum, annuente Philippo filio, sectarij Lutherani, quos vocabant, exurebantur, *Constantino careret, ejus quasi concionantis effigies circumducta est, atque ita terribile per se spectaculum*, vivicomburij videlicet innocentium hominum, *quod primò plerisque adstantium lacrymas excusserat, larvis his in scenam productis risum multis ac postremò indignationem movit.* Non videntur hæc citra ignominiam Caroli defuncti Cæsaris peragi potuisse. Propemodum itaque persuadeor, ut verum esse credam, quod scribit Iacobus Gretserus, non minoris maledicentiæ quàm famæ Iesuita, Examine Strenæ Lauserianæ, uti vocat: *Si Carolus quintus Lutheranâ opinione de Meritis infectus fuisset, in eaq; vitam finiisset, Hispani à refosso ejus corpore pœnas exegissent.* Certè Index Hispanicus Expurgatorius, quæ huc faciunt,

Hist. l. 23.

expun-

expunxit. Cæterùm quæ est alia Lutheranorum de meritis opinio vel sententia, quàm quæ proponitur Exhortationibus Anselmicis, à solo Indice Hispanico rejecta. & passim à majoribus nostris ante seculum & quod excurrit, sicut è tot Agendis & Ritualibus manifestum est, recepta? Imò ne quidem ex omnibus, quæ hodie vel manuscripta vel edita in usu sunt, exulat. Multum itaque negocii sibi facessent Hispani, si ab omnibus eorum, qui in eâ sententiâ vitam finierunt, refossis corporibus pœnas incipiant exigere.

CC. Audiamus etiam sanctum Augustinum, cujus hæc sunt verba III contra Cresconium, cap. XXC: *Ad existimationem humanam magna testium, qui me noverunt, suppetit copia; ad Dei verò conspectum sola conscientia. Quam contra vestras criminationes quum intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis justificare audeo, magisq́; ab eo effluentem misericordiæ largitatem, quàm judicij summum examen exspecto, cogitans quòd scriptum est: Quum Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Et verba faciens de matre suâ IX Confessionum cap. XIII: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam.* Gregorius Magnus in primum psalmum pœnitentialem, sive psalmum sextum ejusque versiculum V. *Non de meis meritis confidens, ut me salvum facias, supplico, sed de solâ misericordiâ tuâ præsumens impetrare, quod de meis meritis non spero.* Iungimus dictum Bernhardi, quod est sub finem libri de Gratiâ & libero arbitrio: *Si propriè appellentur ea, quæ dicimus nostra merita, spei quædam sunt seminaria, caritatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non caussa regnandi.* Ex recentioribus adjungimus Thomam VValdensem, qui tomo

tertio,

tertio, tit. primo, cap. septimo contra merita acriter disputat, & fere indignabundus concludit: *Meritum nostrum in hoc articulo minimè Deus attendit, sive rationem congrui vel condigni; sed gratiam suam, aut voluntatem suam, aut misericordiam suam. Quomodo ergo non ad injuriam Salvatoris & gratuiti coronatoris accedit, quòd gratiâ ejus tacitâ tantùm disputamus de meritis?* Ejus σύγχρονος Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis in psalmum pœnitentialem sextum De profundis, *Per hujus tuæ, ô Christe, passionis virtutem, per hujus sanguinis effusionem te deprecor, ut à peccatis meis & à pœnis, quas pro his mereor, me redimas, redemtumq; ab eis eripias, & ereptum à malis meis tecum in bonis tuis habitare concedas.* Cardinalis hujus intimus fuit Iohannes Gerson, vir ubique laudatus, qui opere tripartito de arte moriendi, particulâ tertiâ moriturum ita jubet precari: *Domine paradisum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorum, sed in virtute & efficaciâ tuæ benedictissimæ passionis, per quam me miserum redimere voluisti, & mihi paradisum precio tui sanguinis emere dignatus es.* Et ipse testamentum suum, quod paucis ante obitum suum mensibus condidit, sic obsignat.

Quæ mortalia sunt, mortalibus ultro relinquo:
Corpus humum redeat, spiritus ad Dominum.
Spiritus iste, Iesu, meus à te suscipiatur:
Spes mea tu Iesus es; gratia, non opera.

Hadrianus, qui postea Pontifex eo nomine sextus, commentans in Quartum sententiarum, tractansque Sacramentum Eucharistiæ de meritis nostris operumque nostrorum circa tempora enati schismatis, vel paullò antè, in hunc modum scripserat: *Sunt merita nostra velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur, & perforat manum innitentis. Et quasi pannus menstruatæ sunt*

omnes

omnes justitiæ nostræ, ut habetur Jesaiæ LXIV. Iugiter enim super pannum bonæ vitæ, quem justitiæ operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum. Quæ igitur ex eis poterit esse fiducia ad Deum, qui neminem diligit, nisi ex toto corde conversum? Rectè igitur suasit Salvator; Quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, Lucæ XVII.

CCI. Operæ precium videtur subjicere, quæ annotavit Nicolaus Liranus ad Iohannis x, 13. *Gloria*, inquit, *cœlestis non dicitur propriè merces, sed tantummodo largè, in quantum omne, quod redditur in præmium laboris, dicitur merces. Ratio autem hujus est, quia hereditas distinguitur à mercede propriè dictâ, sicut filius, cui debetur hereditas, distinguitur ab operario conductitio, cui debetur merces. Gloria autem cœlestis redditur fidelibus, sicut hereditas filiis: propter quod non habet rationem mercedis.* Repetiit illa jam diutiùs, quàm ante seculum, eundem sancti Iohannis locum exponens Antonius Broikvvy Guardianus Noviomagensis; & addit illustrandi ergo ex Rom. IIX, 16: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Accedat Gal. III, 26: *Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Iesu.* Per quod autem sumus filij Dei, per id etiam sumus heredes regni cœlestis. Nam *si qui ex lege sunt*, qui legali pacto & operibus nituntur, *heredes sunt, exinanita est fides & abolita promissio.* Igitur *ex fide est hereditas*, Rom. IV, 14 16. Sanctus Petrus 1 epist. III, 9: Scitis vos ad hoc vocatos esse, ἵνα εὐλογίαν κληρονομήσητε, *ut benedictionem*, (nempe quum dicetur, *Venite benedicti Patris mei*, κληρονομήσατε, tamquam heredes adite & *possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento*, Matth. XXV, 34) *hereditate possideatis*, vel hereditario jure obtineatis. Certum autem est, filium à patre suo secundum justi-

justitiam mereri nihil posse, quum alias se totum & quidquid potest, patri debeat, & ne quidem inter patrem & filium justitia propriè dicta intercedat: minimè verò omnium mereri posse regnum; & quidem æternum & cœleste.

CCII. Sumus autem filii & heredes Dei Patris tamquam Regis: non quidem naturales filij, sed adoptivi. *Prædestinavit nos εἰς υἱοθεσίαν in adoptionem filiorum*, sive quos in filios adoptaret, Eph. 1, 5. Ex quo autem per adoptionem filij facti estis, *emisit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem Abba Pater*, id est, qui vos faciat Deum tamquam Patrem agnoscere, venerari, amare & invocare. *Itaque non ampliùs es servus, sed filius: quòd si filius, etiam heres Dei per Christum*, Gal. IV, 6 & 7. Hoc igitur adoptionis titulo, quæ per fidem & non per opera legis obtingit, regnum cœleste consequi & adire datur, nulloque alio. Cæterùm, inquies, annon potest filius adoptivus Regem patrem in prælio cum hostibus commisso periclitantem forti dexterâ tueri, & suometipsius periculo è periculo eximere, atque ita regnum mereri? atque adeo annon pari ratione à Deo in filium adoptatus potest propter Deum multa cum magno labore agere, & cum ingente molestiâ pati, quin morte suâ, quod de
Joh. 21, 19. sancto Petro dicitur, Deum glorificare, & hoc modo cœleste regnum mereri? Respondeo, quòd quæ de Rege terreno dicta sunt, præstari etiam possint & aliquando præstentur à milite vel tribuno, qui tamen propterea regni heres non constituitur, quia videlicet filius non est, nec naturalis nec adoptivus: in quâ filiatione, ut sic loquar, situm est, quòd heres aliquis sit. Vt igitur homines cœlestis regni sint heredes, necesse est eos à Deo cœlesti Rege in filios adoptari, quod per fidem fit, &

non

non per opera, ficut oftenfum fuit. Adoptati autem tenentur & debent præftare, quidquid in obfequium & honorem Patris poffunt. Subfequitur hereditas, quæ dici poteft præmium & merces, quòd laborem excipiat, quemadmodum excipit merces, non quòd in labore fit dignitas aliqua cum tali mercede comparanda, aut quòd ille labor ejufmodi mercedem fecundum juftitiam promereatur. Neque perperam dixerit, (ut fuperiori exemplo inhæreamus) qui de filio propter parentem in prælio fortiter fe gerente dixerit, Habebit fuæ fortitudinis amplam mercedem, regnum videlicet, quod eum manet; etiamfi jus adeundi ab illis fortitudinis actibus non pendeat, & jam antè per adoptionem fit adeptus. Neque quidquam prohibet, illum qui fortiter agit, ad hoc ipfum, quod promiffum eft & exfpectat, refpicere, ejufque intuitu ad fortiter agendum vel patiendum animari & incitari. Sic Mofes *majores duxit divitias probrum Chrifti, quàm Aegyptiorum thefauros: intuebatur enim* εἰς τὴν μισθαποδοσίαν, *in præmii retributionem*; Hebr. XI, 26. *Nolite abjicere* παῤῥησίαν *veftram*, five liberam Chriftianifmi profeffionem, ἥτις ἔχει μισθαποδοσίαν μεγάλην, *quæ magnam habet remunerationem* five præmij retributionem, Hebr. X, 35. *Accedentem ad Deum oportet credere*, ὅτι τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται, *quòd præmia largiatur iis, qui ipfum requirunt*, Hebr. XI, 6. Ad hanc fanè μισθαποδοσίαν refpexit fanctus Paulus, quando fcripfit, *Præclarum certamen certavi, curfum confummavi, fidem fervavi. Quod reliquum eft, repofita eft mihi juftitiæ corona, quam reddet mihi Dominus illâ die, juftus judex*, II Tim, IV, 7 & 8. Fidelis & verax, qui præftabit quod promifit, & exfequetur, quod fe facturum toties fuit conteftatus. *Fidelis eft qui promifit*, Hebr. X, 23, XI, 11. Pendent enim omnia à

 pro-

promiſſione, qualé à Deo emiſſam eſſe, quòd benignitati divinæ couveniat, nemo poterit dubitare. Fideles itaque *ſecundum promiſſionem heredes ſunt*, Gal. III, 29. Et ipſa hereditas dicitur promiſſio, Hebr. X, 36; XI, 39. *Promiſſio ex fide Ieſu Chriſti datur credentibus*, Gal. III, 22. *Pietas promiſſionem habet vitæ præſentis ac futuræ*, I Tim. IV, 8. *Has promiſſiones quum habeamus, purificemus nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus*, II Cor. VII, 1. Servator ipſe diſcipulis ſuis: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, quas mihi intulerunt Iudæi: *& ego diſpono* ſive paciſcor & promitto *vobis regnum, ſicut mihi diſpoſuit Pater meus*, Lucæ XXII, 28 & 29: nempe *oportet vos per multas tribulationes ingredi in regnum Dei*, Act. XIV, 22; quemadmodum me *oportet pati, & introire in gloriam meam*, Lucæ XXIV, 26. *Et quiſquis reliquerit domos aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, propter nomen meum, centuplicia accipiet*, quæ vel *in tempore hoc & in mediis etiam perſequutionibus* centuplo ſint majora & meliora, quàm quæ amittuntur, *& in ſeculo venturo vitam æternam* κληρονομήσει, *hereditate adibit*, Matth. XIX, 29; Marci X, 30. Vi hujuſmodi promiſſionum, quæ fideles ſunt & fallere nequeunt, obtinebunt evangelici pacti conſortes regnum cœleſte & æternam vitam. Sicut autem hypotheſis neceſſitatis (ut quum dico, Quæ fiunt, hoc ipſo quòd fiunt, non poſſunt non fieri, non poſſunt non à Deo prævideri, aut etiam à Deo præviſa vel prædicta itidem non poterunt non fieri) non tollit naturam contingentiæ; ita quoque hypotheſis promiſſionis non tollit naturam gratuiti beneficij.

CIII. Meritum itaque ſtrictè vel propriè dictum eſt actus aut opus, cui ſecluſâ promiſſione ſecundum ſe & ex ſe ſpectato merces itidem propriè dicta debetur ab eo, qui

eo, qui illam reddere tenetur, nisi reddat, pro injusto habendus. Fundatur in eo, quòd qui præstat, non præstat viribus aut opibus, quas ab eo, cui præstat, acceperit: quòd ad præstandum alio nomine vel titulo non sit obligatus: quòd cedat in emolumentum & commodum ejus, cui præstatur: denique quòd sit æqua proportio inter id quod præstatur, & mercedem quæ confertur. Sive consideremur ut filii, sive ut servi, neutrâ consideratione intercedere potest inter nos & Deum ratio meriti propriè dicti, quocumque nomine vel titulo appelletur. Bene Thomas VValdensis loco superiùs allegato: *Apostolus suis meritis nihil applicabat, sed præmissis beneficiis* (promissionibus) *Domini deberi posse præmium confidebat. Hoc non erat in meritis confidere, sed in beneficiis Domini, secundùm Psalmistam,* Salvum me fecit, *quoniam sic voluit me.* Ps. 18, 20. *Quantum ergo mea sapit medicitas, hæc ipsa determinatio Scripturarum, quam ex Apostolo & Psalmista annotant sancti Patres, congruentiùs jungeretur loquutionibus de meritis hominum, quàm absolutè diceretur, Quòd homo ex meritis est dignus regno cœlorum, aut hac gratiâ, vel illâ gloria: quamvis quidam Scholastici invenerunt ad hoc dicendum terminos de condigno & congruo.*

CCIV. Omnis sive dignitas sive congruentia, quanta quanta fuerit, nititur hypothesi divinæ liberalis & benevolæ promissionis. Nulla enim est potentia, nullæ ad operandum vires, quas homo à Deo non acceperit. *Quid habes, quod non accepisti: si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1 Cor. IV, 7. Si opus aliquod jumento, quod meum sit, peragatur, id eatenus, quatenus meo jumento peragitur, mercede prosequi non teneor. Deinde sive filius sis, sive servus, utroque nomi-

 ne

ne ad præstandum obligaris. *Numquid dominus gratiam habet servo, quia fecit quæ ei præcepta fuerant? non puto. Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus,* Lucæ XVII, 9 & 10. Servus, quidquid potest, debet ut merum servitium; quale nullâ mercede compensatur. Tertiò, nihil emolumenti vel commodi Deo per humana opera accedit. *Si justus es, quid das illi? aut quid è manu tuâ accipit?* Iobi XXXV, 7. *Bonorum nostrorum non eget,* Psal. XVI, 2. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Rom. XI, 35. Quartò nulla est proportio vel æqualitas inter aliquid, quod hîc in tempore ab homine præstatur, & æternam vitam, in quâ *paravit Deus iis, à quibus ipse diligitur, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt,* I Cor. II, 9. Imò Deus ipse erit merces nostra, magna valde, quemadmodum Abrahamo affirmat Gen. XV, I: præsertim quando se nobis totum communicabit, & *facie ad faciem* videndum ac fruendum præbebit. Quoniam igitur nulla hic æqualitas, non potest esse merces secundùm rigorem dicta, sed latè & largè, quomodo omne, quod post operam confertur, merces appellatur, etiamsi non conferatur juxta dignitatem operæ, sed ex merâ liberalitate & benevolentiâ promittentis. Ajunt qui meritum propriè dictũ stabilire conantur, bona quæ à fidelibus bene peraguntur, ab inhabitante gratiâ & virtute Spiritus sancti proficisci, atque inde quamdam æquipollentem infinitæ gloriæ dignitatem sortiri. Sed non est, quòd imaginemur inde ejusmodi dignitatem operi inseri, ut ei insit & inhæreat. Fuere etiam in ethnicis virtutes morales, nec sine influxu & concursu infinitæ virtutis Dei: *in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus,* Act. XVII, 28. Poterit igitur etiam hinc in opera digni-

tas

tas quædam infinita derivari, si possit ex priori.

CCV. Cornelius Iansenius Concordiæ suæ Evangelicæ cap. XXXIX, ex isto fundamento, quòd operibus fidelium æterna vita debeatur, satagit adstruere. Ipsum audiamus. *In merito hominis apud Deum dignitas quædam est operis correspondens præmio & mercedi, quam quidem dignitatem humanum opus habet ex eo, quòd ab ipso Spiritu sancto procedat, quodq; ab ipso fiat, qui membrum est corporis Christi: hoc enim duplici respectu divinam quamdam dignitatem habet humanum opus, ita ut non solùm jam debeatur ei præmium vitæ æternæ propter Dei promissionem, sed etiam propter operis dignitatem.* Cæterùm opus aliquod inde, quòd sine divinâ influentiâ non fiat, divinam dignitatem non sortiri jam diximus; nec membris corporis metaphorici vel mystici tribui potest, quidquid excellentiæ capiti competit, alioquin ἀναμαρτησία in fideles caderet, & subditi regiâ dignitate pollerent. Quin paullò pòst Iansenius sibimetipsi contrarius est. *Vita*, inquit, *æterna etsi sit debita bonis operibus, tamen quatenus à Deo domino omnium datur* (ab alio autem nemine vel datur, vel dari potest; atque adeo quod ab ijs hoc nomine removetur, simpliciter removetur) *gratia est, quia illum nobis debitorem constituere non potuimus: tum quia omne quod possumus, illi ratione dominij debeamus; tum quia ipsa bona opera nostra illius sunt dona, ut dum nostra coronat merita, sua coronet dona, quod proculdubio magnæ est misericordiæ & gratiæ; tum etiam quòd ex nostris operibus nihil illi accedit utilitatis. Accedit his, quòd multa etiam simul à justis committuntur, ob quæ si judicium exactum cum eis inire vellet, negare eis posset bonis operibus debitam mercedem.* Quod cæteris rationibus adjicit, non est levis momenti. Quamvis enim pia opera fidelium non sunt peccata, cohærent tamen cum ijs peccata, quemadmodum ex superioribus

datur

datur intelligi. Et quamvis vigeret Legale pactum, per id tamen ejusque opera servari nemo posset, nisi omni delicto & offensâ careret. At nos hodie in multis offendimus omnes: & sunt in nobis, quæ nos ipsi non intelligimus, Deus autem videt & imputare ac vindicare posset, nisi secundum pactum Evangelicum condonaret. *Verè scio, quòd non justificetur homo compositus* vel comparatus *Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere ad unum ex mille,* dicit Iobus 11, 1 & 3. Rectè igitur Radulfus Flaviacensis in Leviticum libro I. cap. 1: *Vix bonum opus compleri potest sine alicujus peccati admixtione: metuendum itaque, ne dum completæ devotionis remuneratio exspectatur, à nobis etiam reatus admixti pœna exigatur.*

CCVI. Ergo, inquies, renati & fideles Legem servare non possunt. Non possunt inquam ita, ut per eam servatam juxta tenorem pacti Legalis æternâ beatitudine potiantur: possunt autem eatenus, ne per petulantem prævaricationem, quod juxta pactum Evangelicum per fidem consequuti sunt, id est, jus ad capessendum regnum cœleste amittant, quũ etiam juxta præscriptum Servatoris accedere oporteat agnitionem infirmitatis & quotidianam debitorum deprecationem. Non malè Bellarminus v de Iustificatione cap. XVII: *Bona opera non requiruntur ad vitam æternam acquirendam, ut hereditatem, sed requiruntur ne filius excidat ab adoptione, & jure mereatur exheredari.* Perperam autem inde conatur elicere, quòd filius adoptivus mereatur non-amittere, si τὸ *mereri* accipiatur strictè & propriè. Quum enim simpliciter inter Deum & hominem tale nullum meritum intercedat, nec id hîc locum invenire potest. Dices fortè, Interim negandum non est, hominem peccatis suis damnationem verè mereri. Respondeo, Vnde sit, quòd homo,

homo, quum peccat, æternam damnationem incurrat, jam antè est ostensum. Si quemadmodum peccans le- Num 189.
gem divinam violat, ita faciens bonum Deo emolumenti & utilitatis aliquid afferret, dici sine dubio posset, quòd quemadmodum peccans pœnam, ita bene faciens præmium mereatur. Sed Deo per humana facta nihil accedere manifestum est. Imò qui facit, sive consideretur ut servus vel mancipium, sive ut filius; tum hero tum patri suo facere, quidquid potest, tenetur & debet hoc ipso, quòd vel servus est vel filius. Imò etiamsi in gratiam & usum vel heri vel parentis fecerit sive servus sive filius, quòd nec herus nec parens peculiari præcepto fieri mandaverit; in eumdem tamen censum officiorum sive hero sive parenti à servo vel à filio debitorum id refertur.

CCVII. Potest quidem Christianus aliquid facere, quòd ut ad eum modum præstaret, Deus singulari mandato ei non injunxit. Sic sanctus Paulus annunciavit Evangelium Ephesijs, Act.xx, 34; Corinthijs, I Cor.IV, 12; IX, 6, 15; II Cor.XI, 7; Thessalonicensibus, I Thess. II, 9; II Thess. III, 8: ita ut nulli eorum oneri esset, sed manibus suis nocte & die laborando usibus suis ac suorum necessaria acquireret. Tale quid, inquam, peculiariter non mandatum & permissum intermitti, Christianus præstare potest; quale hodie *opus supererogationis* apud Pontificios audit. Et commenti sunt opera nec à Deo mandata, nec ad ullum proximi vel usum vel commodum vel profectum facientia. Quæ enim eò faciunt, etiamsi quoad actuum individuam quantitatem vel qualitatem aut circumstantias expressa non sint, generali tamen illo præcepto, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, comprehenduntur. Ordines autem mona ho-

rum, præsertim recentiores, tamquam supererogata atque adeo sibi superflua alijs, utpote benefactoribus suis & largas manus *ad redemtionem animarum suarum* protendentibus, communicant. Concedunt videlicet, ut formulam, quâ usos vidimus, hic exscribamus, *omnium missarum, orationum, vigiliarum, contemplationum, meditationum, lacrymarum, suspiriorum, pœnitentiarum, disciplinarum, studiorum, prædicationum, peregrinationum, obœdientiarum, jejuniorum, abstinentiarum, laborum, cæterorumq; bonorum, quæ per fratres & sorores ordinis per mundum fiunt universum, plenam participationem, in vita pariter & in morte.* Ita opera supererogationis, quæ comminiscuntur, in aucupium pecuniæ & bonorum suorum, fundorum & agrorum incrementum verterunt. Quòd si autem sunt opera ad Dei honorem & proximi usum facientia, generalibus præceptis comprehenduntur, quoad actuum substantiam, ut ita dicam, etiamsi singulariter non determinentur, sicut paullò antè monui. Si nec ad Dei honorem
Ies. 29, 13. nec ad proximi aliquem usum referri poterunt, illis accensebuntur, de quibus secundùm Iesaiam prophetam dixit Servator, *Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt præcepta hominum*, Matth. xv, 9; Marci vii, 7. Esto itaque posse aliquid ab homine renato fieri, quod ad eum modum peculiariter & determinatè non sit mandatum, ut si vir opulentus mille aureos vel magnam partem suorum bonorum pauperibus in eleemosynam eroget; absurdum tamen fuerit opinari, quòd omnibus, quæ lege divinâ à nobis requiruntur, integrè & perfectè præstitis, aliquid queat superaddi, quod præstanti supersit, & alijs merito fortè destitutis & egentibus loco proprij meriti habendum & utendum concedatur. Quanto rectiùs docet Exhortatio Anselmica moribundum dicere,

Mor-

Mortem Domini Iesu Christi obijcio inter me & mala merita mea, ipsiusq; dignissimæ passionis meritum offero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo. Hoc mortis Christi meritum verè superabundat, & quibuscumque indigentibus (indigemus autem omnes, quicumque simus) imputari, applicari & communicari potest: nulla verò alia hominum vel monachorum merita.

CCIIX. Antiquitus milites stipendia merere dicebantur: atque adeo *merere* vel *mereri* erat præstare aliquid, pro quo ex se considerato stipendium vel retributio jure posset exigi. Succedentibus temporibus deficiente paullatim latini sermonis puritate cœpit τὸ *merere* vel *mereri* accipi pro eo, quod est consequi vel adipisci, sive ex jure tamquam debitum consequaris, sive ex liberalitate tamquam donum, sive quocumque alio modo; tum apud scriptores ecclesiasticos, tum apud exoticos. Sic in vetere cantico ecclesiastico canitur: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemtorem.* Dig. De nundinis, lege primâ: *Nundinis à principe impetratis non utendo, qui meruit, amittit.* Iustinianus Codice suo De præfecto prætorio Africæ, lege I, parag. V: *Africani post tantorum temporum*, annorum videlicet XCV, ut præmittitur, à VVandalis illatam *captivitatem meruerunt, Deo juvante, per nos lumen libertatis adspicere.* Iesaias propheta cap. LV ab his verbis orditur: *Omnes sitientes venite ad aquas; etiam vos, qui non habetis argentum, venite, emite & comedite: venite inquam, emite absq; argento & absque precio vinum & lac.* Quale est hoc emere sine precio, tale est illud mereri sine merito. Sicut autem τὸ *mereri* potest capi latè pro eo quod est consequi; sic etiam meritum pro quovis medio, cujus interventu aliquid consequimur, etiamsi non consequamur per justitiam tribuen-

buentis, sed per ejus benignitatem, gratuitam promissionem & hinc pendentem donationem. Præter essentiale donum æternæ beatitudinis, positum in Dei visione & fruitione, quod non obtinetur nisi per veram & vivam fidem; sunt etiam quædam accidentalia dona, posita sine dubio in externâ quadam gloriâ & fulgore corporis, non jam animalis, sed facti spiritualis. Servatoris *facies*, quando in monte transformatus est, *fulsit ut sol*, Matth. XVII, 2. *Qui docti fuerint*, qui quæ divinitus revelata sunt intellexerint, ut possint alios docere & exhortari doctrinâ sanâ, *fulgebunt tamquam splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, tamquam stellæ in perpetuas æternitates*, Dan. XII, 3. *Alius quidem cœlestium decor, alius verò terrestrium: alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stellâ differt claritate. Ita erit & resurrectio mortuorum*, 1 Cor. XV, 40 & 41. Fortè in alijs quoque, ut in propinquiore ad Christum Dominum accessu vel loco, discrimen erit. Quæ nolumus curiosè inquirere, sed potiùs, quousque reapse exhibebuntur, in fide & spe exspectare. Hujusmodi accidentalia dona, ut ita appellare liceat, quæ essentiali æternæ beatitudinis dono adjicientur, secundum proportionem eorum, quæ in honorem Dei vel emolumentum proximi præstita fuerint, erogatum iri promittitur. *Vnusquisque suam mercedem accipiet secundum suum laborem*, 1 Cor. III, 8. Quoniam itaque ratio proportionis hîc habebitur, videtur distributio propiùs accedere ad quãdam rationem justitiæ, quàm collatio doni essentialis: etiamsi non minùs hîc, quàm alibi, res ipsa fundamentum habeat benignitatem & promissionem, meritumque propriè dictum excludat. Bene Marsilius ab Ingen in Primi distinct. XVII, qu. I, art. II, concl. II: *Nedum vitæ*

1 Tim 3, 2. Tit. 1, 9.

æternæ,

æternæ, sed nec alicujus alterius præmij æterni vel temporalis, aliquis actus hominis ex quantacumque caritate elicitus est de condigno meritorius apud Deum.

CCIX. Isti verò largè vel impropriè dicto merito tantum tribuit Apologia Augustanæ confessionis, quantum umquam possit aut debeat. Apponemus nonnulla ex ijs, quæ articulis IV, V, VI & XX adjiciuntur. *Docemus operibus fidelium proposita & promissa esse præmia. Docemus bona opera meritoria esse, non remissionis peccatorum, gratiæ, aut justificationis: hæc enim tantùm fide consequimur: sed aliorum præmiorum, corporalium & spiritualium, in hac vitâ, & post hanc vitam, quia Paulus inquit: Vnusquisque recipiet mercedem juxta suum laborem. Erunt igitur dissimilia præmia propter dissimiles labores. At remissio peccatorum similis & æqualis est omnium, sicut unus est Christus, & offertur gratis omnibus, qui credunt sibi propter Christum remitti peccata. Accipitur igitur tantùm fide remissio peccatorum, & justificatio, non propter ulla opera.* De eleemosynis loquitur in hunc modum: *Concedimus, quòd eleemosynæ mereantur multa beneficia Dei, mitigent pœnas, quòd mereantur ut defendamur in periculis peccatorum & mortis.* Deinde pluribus interjectis: *Sicut justificatio ad fidem pertinet, ita pertinet ad fidem vita æterna. — Postea opera quia placent Deo propter fidem, merentur alia præmia corporalia & spiritualia. Erunt enim discrimina gloriæ sanctorum.* Paullò pòst: *Non movemus inanem* λογομαχίαν *de vocabulo mercedis. Si concedent adversarij, quòd fide propter Christum justi reputemur, & quòd bona opera propter fidem placeant Deo, de nomine mercedis postea non valdè rixabimur. — Fatemur & hoc, quòd sæpe testati sumus, quòd etsi justificatio & vita æterna ad fidem pertinent, tamen bona opera mereantur alia præmia corporalia & spiritualia, & gradus præmiorum, juxta illud: Vnusquisque* 1 Cor. 3. 8.

accipiet mercedem juxta suum laborem. — *Evangelium gratis offert justificationem propter Christi merita, non nostra: & merita Christi communicantur nobis per fidem. Cæterùm opera & afflictiones merentur, non justificationem, sed alia præmia, ut in his sententiis, merces operibus offertur:* 2 Cor.9, 6. *Qui parcè seminat, parcè metet, & qui largiter seminat, largiter metet. Hîc clarè modus mercedis ad modum operis confertur.* Et tantum meritis, quamvis æquivocis, tribuit Apologia.

CCX. Ex hisce, quæ hactenus proposuimus, deduximus & consideravimus, manifesta sunt, ut speramus, quæ de Legali pacto, & quod ei oppositum est, Evangelico, quo post protoplastorum lapsum nititur restitutio & salus hominum, cognosci oportet aut ex usu fuerit: item de discrimine Veteris & Novi, quæ in hoc quidem conveniunt, quòd utrobique per fidem in Christum remissio peccatorum & jus adeundæ æternæ beatitudinis obtineatur; quoad alia verò admodum discrepant. Excrevit quidem tractatio sub manibus: fateri tamen cogimur, nondum omnia sic esse expedita, ut nihil possit aut debeat addi. Confidimus autem benignitati Dei opt. max. per eam fore, ut quæ desunt, aliquando suppleantur. Sit ei honor & gloria in omne ævum.

F I N I S.





HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

EXCVDIT

HENNINGVS MVLLERVS.



ANNO

CIƆ IƆ C LIV.

005647185